DE
POLYCRATE SAMIORUM TYRANNO.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIV. MENSIS IULII A. MDCCCLXVI

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

IOANNES DEUSSEN

DUESSELDORPIENSIS RHEN.

MONASTERII

EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.

VIRO

ILLUSTRISSIMO HUMANISSIMO,

COMITI

MAXIMILIANO DE LOË,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

PROOEMIUM.

Quod a veteribus rerum scriptoribus traditum legimus, certam rerum, quae Pisistrato antecesserint, descriptionem et temporum computationem fieri non posse [1]), illud etiam nostra aetate ita sese habere, testari cogimur, quamquam multae res ingenio et industria virorum d. d. ex tenebris mythorum in lucem sunt prolatae.

Ac si res inde a Pisistrati aetate gestas plerumque describere et constituere possumus, tamen, quod ad res a Graecis, qui insulas et Asiam incolebant, gestas pertinet, magna pars caligine premitur, quum fontes, ex quibus haurimus, non pleni et limpidi, sed cursu turbati et manci videantur. Quare multa probabili tantum coniectura constitui possunt.

Talis quoque ratio est rerum Samiarum inprimisque a tyranno Polycrate gestarum, sive artes ac literas, sive bella ad confirmandam dominationem incepta respicis, haud indignarum, quae illustrentur et memoriae tradantur.

---

[1]) vid. Censorin. de die nat. c. 21. African. apud Euseb. Praep. X, p. 487 d.' Phlegont. apud Photium c. 97.

Quodsi quis ineptum me ad materiam iam tractatam accessurum dicat, permulta quidem ab iis, qui hunc in campum descenderunt, iam perfecta sunt, quibus palmam infringere nec possum nec volo, sed haud pauca aut incerta relicta aut falso coniecta esse, ex ipsa dissertatione apparebit. Atque haec, quantum fieri potuit, percensere et illustrare mihi propositum erat.

Recentiorum autem, exceptis iis, qui totam rerum Graecarum materiam tractaverunt, et de Polycrate etiam singula disseruerunt, fusius de hac re disputaverunt: Panofka in libro de rebus Samiorum[2]), Veegens in libello de Polycrate Samio [3]) et Bauseus in prospectu annuario gymnasii Warendorpiensis anni 1859. De Panofkae quidem libro Veegens in praefatione sui libelli p. 2 iudicium certe non splendens protulit, quum negligentem eum inprimis in locis veterum subscriptis multaque ab illo omissa, male intellecta esse aut falsa, dicat. Alque haud iniustum hoc opprobrium est; sed non minus Veegens ipse persaepe inconsiderate verba veterum exposuit, quamvis sit multis in rebus laude dignus.

---

[2]) Berolini 1822.
[3]) Amstelodami 1839.

§. 1.

Samus insula, modica quidem[1]) sed fertilis et amoena, *ἱμερόεσσα Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης*[2]), in Icario mari sita, orientem versus tam angusto freto a continente terra separata est, ut a Mycale pertendenti spatium septem circiter stadiorum ad promontorium Neptuni conficiendum sit[3]). In ipsa insula[4]) montuosa[5]) et irrigata quattuor fluminibus[6]), Imbraso, Chesio, Ibette, Amphilysso praeter urbem Samum exstiterunt oppida Ipnus, Gorgyia, Astypalaea; Gigartho vero, Leucothea et Amphilyssus, a Meletio prolatae[7]), non oppida sunt, sed priores fontes[8]), Amphilyssus vero flumen a Stephano

---

[1]) Apulei. Florid. XV.

[2]) Dionys. Perieg. v. 530. Apulei. verb. sunt: Samus Icario in mari modica insula est, ... ager frumento piger aratro irritus, fecundior oliveto, nec vinitori, nec olitori scalpitur. Sed cf. Diodor. V, c. 81; Athen. qui Menandri proverbium de fertilitate profert. XIV, p. 654 (ed T.).

[3]) Hoc loco intervallum latius esse contendit Guérin: Description de l'île de Samos et de Patmos.« 1856 (Paris. apud Durand.) p. 142, qui duo, quae dicunt, kilometra = 6372 pedes Rhen. refert.

[4]) De circuitu vide Strab. XIV. tom. 3, p. 169 ed T. »περίπλους δ'ἐστὶ τῆς Σαμίου νήσου σταδίων ἑξακοσίων.« Agathem. vero computatio (l. I. c. 5) propius ad veritatem accedit (»Σάμον περίμετρος στάδια χλ!) ut recentiores asseverant (Pococke, Description de l'Orient III, 75) Guérin l. c. p. 142 et 143, qui 200 Kilometr. una cum littoris flexu constituit.)

[5]) Strabo: »Ἀλλὰ καὶ τὸ ὄρος ἅπαν, ὃ ποιεῖ τὴν ὅλην νῆσον ὀρεινὴν ὁμωνύμως λέγεται (Ἄμπελος).

[6]) cf. Panofka: De reb. Samior. §. 2 et Guérin: p. 105, c. V.

[7]) Geograph. p. 488.

[8]) A Plinio referuntur.

Byzantino memoratum. Urbs vero Samus ad meridiem spectans una cum portu, cuius moenia octo kilometra circuitu amplectebantur [9], multis magnificis ornata erat aedificiis, quae hoc loco enumerari operae pretium erit. Ac fuerunt quidem templum Apollinis Pythii [10], Dianae [11], Bacchi *κεχηνότος* [12], Mercurii *χαριδότου* [13], Minervae *Ἐργάνης* [14], Veneris [15], Iovis liberatoris a Maeandrio Polycratis successore exstructum [16], deinde *βουλευτήριον* [17], theatrum [18] et gymnasium [19].

Primi insulae incolae [20] Cares et eorum *σύνοικοι* vel *ἔποικοι*, Leleges, fuerunt, rei nauticae et piraticae valde dediti; atque eodem fere tempore etiam Phoenices colonos mercandi causa, non ut sedes figerent, sed ut emporia conderent, Samum emiserunt [21]. Postea autem Procle et Tem-

---

9) Guérin c. VII.
10) Paus. Corinthiaca XI. c. 31.
11) Herod. III. c. 48.
12) Plin. H. N. VIII, c. 16.
13) Plut. Q. Graec. p. 55.
14) Suid. s. v. Ἐργάνη.
15) Plut. Q. Gr. p. 54.
16) Herod. III, c. 142.
17) Plut. l. c. p. 57.
18) Id. vit. Anton. c. 61.
19) Athen. Deipn. XIII, p. 562.

Ceterum sunt, qui Plinii verba (H. N. XXXIV, 19) proferentes labyrinthum quoque a Theodoro factum in insula fuisse putant; Verba quidem: »Theodorus, qui labyrinthum fecit Sami, ipse se ex aere fudit.« Sed comma non post »Sami,« verum post verbum »fecit« ponendum est, quomodo verba cum illis libri XXXVI consentiunt, ubi de quattuor tantum labyrinthis, de Aegyptio, Lemnio, Cretensi et Italico, mentio facta est.

In foro autem columna exstructa erat, quam Herod. VI, 14, memorat. Adhuc exstant vestigia theatri aliorumque aedificiorum in vetere urbe.

20) Panofka: De reb. Sam. p. 10 ss.

21) cf. Grotei hist. Gr. (vertit Meissner) II, not. 3. Moversii Phoenic. I. 419. Diod. V. 81, 82; Thucyd. I, 8.

brione ducibus Iones cum incolis aliarum civitatum a Caribus recepti πόλιν duas in partes dividebant, quarum alteram, Chesiam, a Chesio fluvio nuncupatam, ipsi, alteram, Astypalaeam, magna ex parte in colli paululum ex planitie edito sitam, Cares videntur tenuisse [22].

Permixto autem variarum gentium sanguine felix exstitit incolarum indoles. Nam quod Samii inter primos erant, qui exercenda mercatura et navigatione excelluerint, quod tantam sibi paraverint potentiam, ut regnante Cambyse eorum civitas prima omnium habita sit [23]) nulli alii rei magis attribuendum videatur, quam felici variarum gentium coniunctioni in insula opportune sita. Moribus enim indolique Ionum, qui Atticam incolebant, ante Solonis quidem aetatem, nulla res magis aliena videtur fuisse, quam nautica [24]. Samii autem fuerunt, qui primi una cum Corinthiis triremes naves possidebant [25], construendis autem navibus omnem curam impendebant [26], qui mercaturam cum Aegypto ante omnes alios Graecos exercebant [27], colonos in insulas maris Aegaei, in Africam, Thraciam mittebant [28], Hispaniam vero ceteris Graecis aperiebant [29].

Primo quidem, ut in ceteris civitatibus, summa rerum penes reges fuit; sed quum, ut Aristoteles dicit [30], multi iis pares virtute exsistere coeperint, ferre iam eorum imperium non potuerunt, et nobilium principatus exortus est.

---

22) Panofka 12, 13. ss. Ross Itinera II, p. 148. Guérin libr. cit. p. 198.
23) Herod. III, 139.
24) cf. Groteus II, p. 138.
25) Thucyd. I, 13.
26) Hesych. s. v. Σαμίακος τρόπος.
27) Dunker IV. 92 et l. al. Herod. II, 152. cfr. Panofka p. 13.
28) Panofka p. 20, ss.
29) Id. p. 15.
30) Arist. Πολιτ. IV, c. 10. 7. (c. 15 Beck.)

De regibus, quorum nominantur: Amphicrates (Herod. III, 59) d. Demoteles (Plutarch. Quaest. Graec. LVII) quidem Samiorum, exceptis nominibus, nihil a veteribus scriptoribus traditum est. Nobilibus vero imperantibus res Samiorum floruisse, oppressos autem esse ceteros cives dura gubernatione geomororum, eorum, qui „μοῖραν τῆς γῆς εἰληχότες, nominabantur, constat [31]). Civibus autem, qui obediebant, attribuendi sunt nostra in insula, *αὐτουργοί*, qui ipsi agros, quamvis parvos, possidebant, rustici, qui divitum agros incolentes, stipendia et vectigalia pendebant, classiarii et nautae, numero potentiores, mercatores, artifices operariique. Quodsi Aristoteles „*εὐγένειαν εἶναι ἀρχαῖον πλοῦτον καὶ ἀρετὴν*“ dicit [32]), primis quidem temporibus nobiles divitiis et iis rebus, quae eas sequi solent, ceteros superasse constat; sed postea in Samo, ut omnibus in civitatibus, ceteri quoque cives mercatura florente divitias parabant et inferioris sortis, quid suis viribus valerent, cognoscebant, nobiles vero morte bellisque, quum quemque ceterorum excluderent, minuebantur. Quod quum, qui clavum gubernandae reipublicae tenebant, eorum, qui extra gubernationem erant, aptos ad administrandum non advocarent, ipsi imperium perdiderunt mutata gerendae reipublicae ratione per Sylosontem, Callitelis filium, qui dux in bello contra Aeoles electus erat. Sed haud diu sub eius principatu populus libertate gaudebat. Restaurata est nobilium dominatio, qui sine dubio ad muniendum principatum magis quam antea populum premebant [33]). Atque haec est causa, qua Polycrates id, quod animo proposuerat, tam facile et celeriter assecutus est. Notum enim est, crescere odium indies, nisi tollitur indignationis causa.

---

[31]) cf. Plutarch. Quaest. Graec. LVII.
[32]) l. c. IV. c. 6, 5.
[33]) cf. Plutarch. l. c.

Tradita quidem sunt verba de Polyaeno ab nullo alio scriptore, quam a Polyaeno, qui in libro Strateg. VI. 45 dicit:

„Συλοσῶν Καλλιτέλους Σαμίοις δημοτικὸς εἶναι δοκῶν στρατηγὸς ᾑρέθη· Σαμίων δὲ πολεμούντων τοῖς Αἰολεῦσι καὶ τὴν πανήγυριν οὐκ ἀγόντων ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἥρας, πορρωτέρω τῆς πόλεως ὄντι, Συλοσῶν οὐκ ἂν ἔφη στρατηγῶν ἀμελῆσαι τῆς εἰς τὴν θεὸν εὐσεβείας, ὡς καὶ μᾶλλον ἐκπλήξων τοὺς πολεμίους, εἰ τὴν πάτριον ἀγάγοι πανήγυριν. Οἱ Σάμιοι τὸν στρατηγὸν ἐπαινέσαντες τῆς εὐσεβείας καὶ τῆς ἀνδρείας, ἐλθόντες ἐπὶ τὸ τῆς Ἥρας ἱερὸν ἐσκηνοποιοῦντο καὶ ὅσα εἰς πανήγυριν καθίσταντο· Ὁ δὲ Συλοσῶν, νυκτὸς εἰς τὴν πόλιν εἰσελθὼν καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν τριήρων ναύτας εἰσκαλέσας, τὴν Σαμίων ἀρχὴν κατέσχεν·"

Multa quidem proferri possunt, quibus totus hic locus in dubium vocatur. Primum enim auctor ipse admodum est negligens [34]), quamobrem, quae hic referantur cum iis, quae de Polycrate tradantur, a scriptore confusa esse facile credas, ut Polyaenus persaepe non solum cognomines duos coniunxit. sed etiam viros plane diversis nominibus confudit [35]). Deinde tota res ita tradita est, ut nihil certi neque de bello illo cum Aeolibus gesto, neque de tempore ipso erui possit.

Sed tamen ceteros, qui de nostra materia, fusius scripserunt sequens [36]), totam rem reiicere non ausim, quod ut res a nullo alio scriptore affirmatur, ita etiam a nullo vetere refutatur. Ceterum hisce in rebus Welckeri sententia maxime probanda videtur, qui dicit: „Um nicht Alles zu verwirren und hin und herschwankender Willkür preiszugeben, muss

---

[34]) cf. Woelffelin. Edit. Polyaen. praef. VII et l. c.
[35]) cf. Woelffel. l. c. p. VIII.
[36]) Veeg. p. 14. Panofk. p. 27. Welcker: Röm. Studien p. 275.

die erste Regel sein, von dem Wenigen, was positiv überliefert ist, nichts unbedingt zu verwerfen, dem nicht positivere Gründe entgegen stehen."

Post Sylosontem vero rempublicam in eam formam redactam esse, quae timocratia nominatur, non credo, quum sine dubio, si ita res se habuisset, Polycrates non tam celeriter ac facile summa rerum potiri potuisset [37]). Minime vero qua ratione a Polyaeno narratur.

---

§. 2.

Polycrates, cuius pater Aeaces [1]) divitias aut sibi parasse aut a maioribus relictas mercatura videtur auxisse, utrum nobili [2]) an plebeio [3]) ex genere ortus sit, a veteribus rerum scriptoribus non traditur, neque apud recentiores hac de re quidquam disputatum legimus. Sed quum omnes fere Graecorum tyrannos, qui ante bella Persica exstiterunt, ex nobilium gremio evasisse constet, [4]) nostrum quoque optimatibus adnumerandum esse puto; quae sententia probabilior fit, si Sylosonta, quem optimatibus gubernationem eripuisse

---

[37]) Nec traditur haec res ab ullo scriptore. Quare Bauseo l. c. p. 7 assentiri non possum.

[1]) Herodot III., 39; Euseb. Chronic. Olymp. LXII. cf. Suidas sub. v.: Ἴβυκος, quo loco haud integro pater quoque Polycrates nominatur.

[2]) Dunker: Hist. ant. IV., 503.

[3]) Curtius: H. gr. I., 496—4.

[4]) Aristot. Polit. V., 3; 1. cf. Plass. Tyrannis: I., p. 120. Grote (vert. Meissner). II., p. 16.

scimus, Polycratis cognatum [5]) fuisse vel etiam avum [6]) coniicere licet. Hunc enim nobili genere natum esse, ex Polyaeni [7]) verbis intelligas, qui dicit: „*Συλοσῶν Καλλιτέλους Σαμίοις δημοτικὸς εἶναι δοκῶν, στρατηγὸς ἡρέθη.*“ Nam verbis „*δημοτικὸς εἶναι δοκῶν*“ illum ceteris opponi optimatibus, qni aura populari non fruerentur, quis est quin intelligat! Atque apud Herodotum [8]) Maeandrium, cui a tyranno proficiscente cura regni commissa erat, eam ob rem indignum esse, qui Polycrati succedat, Telesarchus, homo nobilis, contendit, quia ignobili loco natus sit. Qua quoque re commendari nostram sententiem arbitror.

Iam vero Polycrates cum magna indole praeditus, tum ambitiosus et audax, perspecto rerum Samiarum statu opportuno, ut supra exposuimus, ei qui novas res moliebatur, viam ad occupandam dominationem vel maxime idoneam ingressus est. Initio enim mobilem captabat auram popularem ac prae ceteris animos multitudinis, quae quia odit divites, quorum dominatu libertate frui non potest, quemlibet ducem adversus eos libenter sequitur, [9]) sibi conciliare studebat. Neque alia ratione alii, inter quos Pisistratus, Theagenes, Dionysius, summa rerum potiti sunt. [10]) Quam ad rem impetrandam opes a patre receptae eum adiuverunt. Nam *χρήματα χρήματ᾽ ἀνήρ.* Sumptum igitur faciebat, ut oculos in se converteret, illiciebat, ut id, quod animo intenderet, a civibus probaretur, largitione et liberalitate, ut Ale-

---

[5]) Curtius l. c.

[6]) Plass. I., 233. (Die Tyrannis in ihren beiden Perioden bei den Griechen.) Schoemanni Antiq. gr.

[7]) Strateg. VI., 45.

[8]) III, 142. »᾽Αλλ᾽ οὐδ᾽ ἄξιος εἶ, inquit, σύγε ἡμῶν ἄρχειν, γεγονώς τε κακὸς καὶ ἐὼν ὄλεθρος.

[9]) Cic. De Republ. I, 27.

[10]) cfr. Aristot. l. c. V, 4, 5.

xis Samius [11]) tradit, quum dicat: „Idem (sc. Polycrates), priusquam tyrannidem occupasset, pretiosa stragula (triclinia) et pocula, quae parata habebat, omnibus utenda dare consueverat iis, qui nuptias aut solemniores quasdam celebrabant epulas.“ Deinde incepta iam prospera futura confisus auxilium sibi videtur adiunxisse tum communicando consilia aliis nonnullis et promittendo, tum coniungendo necessitudinem, etiamsi non cum compluribus aliis tyrannis, quorum cuiusque plurimi interesse constat, sibi quam plurimos eiusdem fieri sortis, certe cum Lygdamide, [12]) Naxiorum tyranno. Eandem ob causam Iason Pheraeus Neogeni Euboeo, Theagenes Megarensis Cyloni, Lygdamis Pisistrato auxilium tulerunt. [13]) Coniuravere autem cum Polycrate fratres eius Pantagnotus et Syloson aliique pauci quidem, [14]) sed a quorum partibus, quum opibus valerent, permulti e plebe stetisse videntur.

Quod quum ab illo satis undique provisum esset, tanquam ansam ei obtulerunt dies in honorem Iunonis, quae hac in insula nata et adulta fertur, celebrati, quibus Samii sollemni pompa ad Iunonis templum unius horae itinere ab urbe distans sacrificandi causa per viam sacram, cuius vestigia adhuc conspiciuntur [15],) procedebant. Eiusmodi quoque occasionem a Cylone arreptam scimus, quum tempore Olympiorum arcem Athenarum aggressus sit. [16]) Qua igitur in pompa primae incedebant virgines mulieresque vittis, armillis, diadematis quam maxime ornatae easque sequentes scuta aliaque arma, quae inter preces votaque deponebantur,

---

11) Alex. fragm. ed. Mueller. IV, 299, 2.

12) Polyaen. I, 23.

13) cfr. Drumanni: »De tyrannis Graecorum« libell. p. 12.

14) Heerod III, 39; et 120.

15) Panofka: Res Sam. 59. cfr. Rossii itinera II, 145 et Guérin. p. 215:

16) Herod. V., 171; Thucyd. I., 126.

gestantes viri agmen claudebant[17]). Quibus iussu Polycratis se inserebant, tanquam nihil in animo molientes, coniurati, tum, sua arma clam retinentes, depositis quam plurimis potiti, medias inter preces, vota, sacra, primores nobilium, incautos, inermes obtruncant, ac, dum ceteri interfectis ducibus obstupefacti et perterriti, quid faciendum, nesciunt, cito cursu se referunt ad Polycratem, qui interea opportunissima quaeque urbis loca arcemque Astypalaeam occupavit.

Quam rem ab alio quidem nullo rerum scriptore atque a Polyaeno[18]) traditam, a recentioribus vero non refutatam, Veegens in libello de Polycrate tyranno[19]), nisi plane falsam, certe fabulis admixtam dicit, atque eam ob causam, quod qui sacrilegio omnia iura divina et humana violasset, nec quietam dominationem obtinere neque Herodotum praeconem laudis habere potuisset et quod, si Polyaeno hac de re fides haberetur, Herodoti verba, qui quindecim tantum armatos referret, valere non possent. Sed ista argumentatio, mea quidem sententia, probanda non est. Quid enim? Nonne ipsum fratrem Pautagnotum ferro trucidavit? Nonne deiecissent Samii servitutis iugum, dummodo fieri potuisset, etiamsi Polycrates nullam sanguinis guttam sparsisset? Nonne experti sunt postea? Herodoto[20]) quidem, qui totam rem paucis tantum his verbis, Polycratem cum quindecim armatis insurrexisse et potitum esse insula, tangit, rem notam fuisse, iam eo probari videtur, quod nullam Ionum sedem tam saepe respicit, quam Samum insulam, atque etiam, ut Suidas refert, ibi aliquandiu commoratus est[21]); sed ab illo multa, quamvis memoria digna, silentio praetermissa, de tyrannis vero, qui dominatio-

---

[17]) Asius apud Athen. XII, p. 525. Varro ap. Lact. de fals. relig. I, 17.

[18]) l. c. — [19]) p. 20. — [20]) III. 129. — [21]) cf. Heise: de Herodoti vita p. 88.

nem vi paraverunt, exceptis Cylone Pisistratoque nullam mentionem factam esse, perlegenti eius libros apparebit[22]). Et quod tyrannum laudibus efferat, mirari non liceat, quum et eius de patria merita per totam Graeciam certe nota et digna haberentur, quae memorarentur, et tota haec res cum intima Herodoti de fato sententia ac de divina rerum providentia cohaereat. Iustas enim Polycrati tribuendo laudes gravem imprimit notam scelesto impioque Oroetis facinori ideoque nemesim, quae cum tam cito secuta sit, insigniter se manifestare arbitratur. Ceterum nisi fallor, totam de Polycrate insertam narrationem vel potius digressionem[23]) Herodoti sententiae de deorum invidia lib. VIII, 10 tam pulchre expressae debemus, quam ad exponendam minoris momenti erat narrare, quomodo ille evaserit tyrannus.

Neque etiam difficultas exsistere potest conferenti Herodoti verba cum eo quod Polyaenus tradit, dummodo res diligenter perpenditur. Radicitus enim everti non posse liberam rem publicam cum quindecim tantum sociis[24]) et potius illos viros fuisse primores, quos tanquam patronos, ut ita de Graecis dicam, clientes, caterva hominum, secuti sunt nemo non intelligit; ac quod ad caedem spectat, *οἱ ἄριστοι, οἱ τῆς πόλεως προεστῶτες*[25]) tantum trucidati videntur, quod ex addita voce *ἐφεξῆς*[26]) iure coniectare licet.

---

[22]) cfr. Herod. lib. V, 92; III, 50; I, 61, 64; II, 20—23; V, 72, b. VII, 7, 164; IV, 97; V, 11; V, 37; IV, 133; V, 104; VIII, 85; VII; 7; 165; V, 46; VII, 153; VI, 22; II; 44. . . . .

[23]) De digressionibus ab historico interspersis cfr. Baehr ad Herod. I, 23 et loc. c.

[24]) Mea sententia numerum »quindecim, rotundum, quem dicunt, habere possumus, superlationem ad minus exprimentem; quod a nullo Herodoti commentatore, excepto Abichtio, notatum legi.

[25]) cfr. Kortum: Hellen. Staatsverf. p. 101.

[26]) Polyaen. l. c.

Quibus occisis Polycrates pone arcis moenia cum suis per aliquod temporis spatium Lygdamidis auxilium exspectare potuit.

Iam vero, si quaeritur, quinam fuerit annus, quo Polycrates evaserit Sami tyrannus, ut de certo quodammodo tempore exordiamur, proferre placet, quod tota in re minoris quidem haberi potest momenti.

In Attica terra Heraea mense, qui vocatur *γαμηλιών*, et, quod ex verbis Schol. Hesiodi [27]) concludi potest, postremis mensis diebus (*γαμ.* IV. antec. et sequente die) celebrabantur [28]). Quod quum communis civitatum cultus ex eadem de diis opinione ortus sit, coniectare quoque licet, eodem fere anni tempore, nisi apud omnes, certe apud gentes eiusdem stirpis dies in honorem communis dei vel deae celebratos fuisse [29]). Quae res commendari videtur eo, quod mensis Atheniensium „*γαμηλιών*," in Teno, Delo, Naxo, Paro insula dictus est *Ἡραιών*, cui Samiorum, Prienensium Smyrnaeorum mensis *Ληναιών*, qui cum nostro Ianuario congruit, videtur respondere [30]). Primi igitur postremis vel primis secundi mensis diebus nostri anni summa rerum potitus esse videatur Polycrates. Neque huic coniecturae adversatur, illo anni tempore

---

[27]) Schol. Hes. ἐργ. 794 ed. Vollbehr.

[28]) Ἀθηναῖοι ἑορτὴν Διὸς ἄγουσι καὶ Ἥρας ἱερὸς γάμον καλοῦντες. Phot. Lex. p. 103. Bergk: Beitrag z. Mtskunde p. 365 s. Hesych. I. p. 798: »Γαμηλιὼν ὀτῶν μηνῶν τῆς Ἥρας ἱερός. cfr. Hermanni Mtsk. p. 51. Mommsenii, Heortologie p. 343.

[29]) cfr. Boeckh. Corp. Inscript. Gr. II, No. 2338. Prelleri RE. p. 1059. Petersenii Zw. S. 47, 2.

[30]) Proclus ad Hesiod· ἐ. κ. ἡ. 502: τῷ Γαμηλιῶνι, καθ' ὃν καὶ τὰ Λήναια παρ' Ἀθηναίοις· Ἴωνες δὲ τοῦτον οὐδ' ἄλλως, ἀλλὰ Ληναιῶνα καλοῦσι· cfr. Boeckh. Berolin. Acta acad. 550 ss. Rhein. Museum XVII, p. 355: Im Monatsgöttersysteme ist der Ianuar sammt seinem Thierkreiszeichen, dem Steinbock, der Iuno, zugeschrieben.

μῆνα δὲ Ληναιῶνα τὸν Χοιὰκ ἤτοι τὸν Ἰανουάριον. cfr. Vollbehr. ad Hes. ἐ. κ. ἡ. 506.

Lygdamidi auxilium ferenti Icarios fluctus cum Africo luctantes nimis periculosos fuisse, quum, nisi, illum haud procul ab insula Samo Polycratis nuntium iam exspectasse, pro argumento ponere placet, quolibet anni tempore, si res poscere videbatur, naves portu educi possent[31]).

Sed quo anno Polycrates dominari coeperit, vix, ut recte monuit Schultzius[32]), certa ratione constitui potest, quum, qui veteres rerum scriptores certum annum tradiderunt, Suidas[33]) et Eusebius[34]), quadraginta annis inter se differant, alter Olymp. 52 vel 572 a. Chr.; alter 532 a. Chr. proferens. Probabili igitur coniectura tantum quidquam certi erui postest, ac tamen nihil tam accurate adhuc statutum est, ut in dubium vocari omnino nequeat.

Legitur apud Herodotum I., 64: *Πειθομένων δὲ τῶν Ἀθηναίων, οὕτω δὴ Πεισίστρατος τὸ τρίτον σχὼν Ἀθήνας, ἐῤῥίζωσε τὴν τυραννίδα ἐπικούροισί τε πολλοῖσι, καὶ χρημάτων συνόδοισι, τῶν μὲν, αὐτόθεν, τῶν δὲ, ἀπὸ Στρυμόνος ποταμοῦ συνιόντων ὁμήρους τε τῶν παραμεινάντων Ἀθηναίων καὶ μὴ αὐτίκα φυγόντων παῖδας λαβὼν, καὶ καταστήσας ἐς Νάξον. καὶ γὰρ ταύτην ὁ Πεισίστρατος κατεστρέψατο πολέμῳ, καὶ ἐπέτρεψε Λυγδάμι.*

Polyaenus vero, postquam tradidit, quo modo Polycrates tyrannidem invaserit, (I., 23). *Τειχίσας ἀκρόπολιν τὴν καλουμένην Ἀστυπάλαιαν, μεταπεμψάμενος παρὰ Λυγδάμιδος τοῦ Ναξίων τυράννου στρατιώτας, καὶ δὴ Σαμίων τύραννος ἦν·*

---

31) cfr. Mommsen. Heortoloy. p. 48 not.

32) Appar. critic. p. 30 ss.

33) Sub voce Ἀνακρέων et Ἴβυκος: »— εἰς Σάμον ἦλθεν ὅτε αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης ὁ τοῦ τυράννου πατὴρ, χρόνος δὲ οὗτος ὁ ἐπὶ Κροίσου, ὀλυμπιὰς νβ!«

34) Olymp. 62. 1: Apud Samum tyrannidem exercent tres fratres, Polycrates, Syloson et Pantagnotus.

Quibus ex duobus locis elucet, Polycratem ante annum 540 dominationem sibi non parasse, quum post annum 540 Pisistratus tertium Athenis potitus sit [35]). Quare Duncker [36]): „Da Pisistratus 538 Attica eroberte. kann Lygdamis nicht vor 537, u. da Polycrates wieder mit Lygdamis Hülfe emporkommt, kann dessen Tyrannis auf Samos nicht vor 536 begonnen haben."

Cui quidem coniecturae obiici potest, Polycratem a Lygdamide, tyrannide iam non potito adiutum esse. Sed quamquam apud Herodotum legitur Lygdamidem privatum Pisistrato et pecunias et homines misisse, hoc de Polycrate non traditur; imo contrarium apud Polyaenum legitur, quum Lygdamidem illo loco Naxiorum tyrannum dicat. Groteus vero hoc modo disputans: „(Polycrates) Pisistratus scheint selbst während seiner Verbannung einen Grad von Einfluss ausgeübt zu haben, der den eines Privatmannes bedeutend übertraf; er leistete dem Lygdamis von Naxos werthvollen Beistand, als dieser sich zum Despoten über diese Insel aufwarf." (vide tom II., p. 410.) Herodoti verba non intellexisse videatur, quum, quamquam verba *καὶ γὰρ ταύτην ὁ Πεισίστρατος κατεστρέψατο πολέμῳ καὶ ἐπέτρεψε Λυγδάμι* parenthesim esse constat, tamen certum rerum gestarum ordinem a scriptore servatum esse negari non possit.

Quae quum ita se habeant, in Dunckeri coniectura acquiescendum est, si, quae de Pythagora philosopho tradita sunt, cum illa consentiunt. Sed antea videamus, quid habendum sit de eorum coniectura, qui Eusebii verba sequentes tyrannum anno 532 evasisse contendunt.

Inter quos Veegens [37]) ad commendandam sententiam

---

35) cfr. Clinton. Fasti H. App. II.

36) Geschichte des Alterth. IV. p. 322. Not.

37) Libr. cit. p. 9.

Strabonis verba XIV. 1: „ἐπὶ τούτου δὲ καὶ Πυθαγόραν ἱστοροῦσι, φυομένην ἰδόντα τὴν τυραννίδα, ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν καὶ ἀπελθεῖν εἰς Αἴγυπτον καὶ Βαβυλῶνα φιλομαθίας χάριν· Ἐπανιόντα δ'ἐκεῖθεν, ὁρῶντα ἔτι συμμένουσαν τὴν τυραννίδα πλεύσαντα εἰς Ἰταλίαν, ἐκεῖ διατελέσαι τὸν βίον, hoc modo interpretatus est: „Sub Polycrate patriam reliquit, quum tyrannidem ortam vidisset; in Italiam abiit, quum eandem adhuc durantem vidisset; quod si de Polycrate intelligendum esset, τὴν αὐτοῦ τυραννίδα scripsisset." At quis est, quin intelligat, inprimis quum totum hunc locum Strabo verbis, „haec de Polycrate", concludat, et insequente demum de Sylosonte eiusque rebus loquatur, fieri non potuisse, quin, si de Sylosonte cogitasset, pro „τὴν τυραννίδα, τὴν Συλόσωντος τυρ. scripsisset. In Gronovii deinde sententiam discedens, qui philosophum post expulsos reges in Italiam venisse contendit [38]) et Iamblichi Porphyriique verba, eundem per 22 annos in Aegypto versatum esse, proferens, haud cum gravi difficultate (510 + 22 =) 532, annum primum tyrannidis, eruit. Sed Gronovii coniectura iam dudum est omissa itaque hoc modo Eusebii annus probari non potest.

Fatemur ceterum, omnes locos de philosophi vita a veteribus traditos ad certam et indubitatam computationis rationem non sufficere. Quam ob rem etiam id mirari non licet, quemque probababilibus vel vanis coniecturis ad confirmandam suam de constituendo primo tyrannidis anno sententiam, quaecunque de philosophi vita supersunt, adhibere. Sed maxime probabilia eruamus. Pythagoras circa Olymp.

[38]) cfr. ad A. Gell. N. Att. l. XVII, c. 21. Solini tantum verbis confirmatur eius coniectura (c. 16): In Samo, inquit, nihil nobilius, quam Pythagoras civis, qui mox offensus fastu tyrannico, relicta domo patria, Bruto consule, qui reges urbe exegit, Italiam advectus est.

49 (anno 580 a Chr.) natus esse videatur. Quod tempus probatur computatione Antilochi cuiusdam, nominati apud Clementem Alexandr. et Anonymum [39]), qui ab anno natali Pythagorae usque ad Epicuri mortem 312 annos numerat. Mortuus vero est ille Olymp. 127. 2. Ab hoc anno, qui etiam cum Eratosthenis et Phavorini verbis congruit, si interpretatio, quam Bernhardyus protulit [40]), probatur, et qui etiam a viris d. d. [41]) annus natalis Pythagorae constituitur, exordiamur ad constituendum tyrannidis initium. Ab omnibus veterum scriptoribus Polycratis dominationem causam peregrinationis philosophi fuisse traditur, neque ab iis, qui hunc in campum descenderunt, philosophum Aegyptum visitasse refutatur. Sed Apollodori verbis, (vid. Iambl. de Vit. Pythag.) eum 18 annos natum Samum reliquisse illam ob causam, credi non potest. Nam anno 562, profectus esset; quod Polyaeni verbis temporis causa, quo Lygdamis tyrannus auxilium ferre potuit, conferri non potest, quum illo tempore dominationem non possideret; coniicere vero, privatum Nostro auxilium tulisse Lygdamiden, non est probabile, quod Poly-

---

39) cfr. Meiners: Gesch. d. Entw. d. Wissensch. I, p. 360 ss. cfr. Clem. Strom apud Meiners. l. cit.

Anonym. Ὀλυμπιάδων ἀναγραφαί auct. ad Olymp. XXVII. 2: Ἀντίλοχος ὁ τὰς ἱστορίας πραγματευσάμενος. ἀπὸ τῆς Πυθαγόρου ἡλικίας ἐπὶ τὴν Ἐπικούρου τελευτὴν ἔτη φέρει τὰ πάντα πβ. Idem fere ad Olymp. XLIX. 2.

40) Tradit. Diog. Laert. VIII, 47: »Eratosthenes autem dicit, quod Phavorinus quoque in libro octavo variarum historiarum constituit, hunc (sc. Pythagoram) primum fuisse, qui artem in pugilatu adhibuisset,« ad Olympiaden 48; cfr. African. apud Euseb. Chron I, 147 et Syncell. p. 239. Hoc non de anno victoriae intelligendum est, quum ἐπὶ Ὀλυμπ. hunc in sensum dici non potest; sed Eratosthenes, quum in Chronographiis ad Olymp. 48 pervenisset, victoriam Olympiacam attulit, et quidem ea de causa, ut philosophi annum natalem confirmaret.« Sic Bernh. Idem, nisi fallor quodam modo ab Eusebio factum est, quum annum 532 initium tyrannidis referat.

41) A Danckero, Groteo, Rittero, O. Muellero.

aenus vocem „τύραννος“ adiecit. Aristoxenus vero [42]), cui prae ceteris fides habenda est, philosophum 40 annos natum in Italiam venisse, refert. Quod iam Dodwellus [43]) ita corrigere studuit, ut eum quadragenarium non in Italiam, sed in Aegyptum profectum esse emendet. Sed haec emendatio necessaria non est. Nam quum Aristoxeni computatione annus 570 evadat natalis [44]), annus 580 autem multo probabilior sit, (vide pag. 20,) philosophum vero anno circiter 530 in Italiam venisse, Aegyptum autem vidisse eum constet, nihil obstat coniicienti, anno circiter 540 in Aegyptum Pythagoram emigrasse, postea vero, 40 annos circiter post 570, in Italiam profectum esse [45]). Atque idem fere Ritterus [46]) quoque profert, quum dicat: „Man hat, seine Auswanderung aus Samos wegen der Tyrannei des Polykrates und seinen Einfluss auf die Zerstörung von Sybaris der Berechnung zum Grunde legend, das Geburtsjahr des Pythagoras in das zweite Jahr der Ol. 49 verlegt, er wird desshalb Ol. 59, zu welcher Zeit er, wie Aristoxenus berichtet, 40 Jahre alt war, Samos verlassen haben.“

Atque hisce rebus nisus Polycratem inter annos 540—536 tyrannum evasisse contendo [47]), quum ita optime coniungi possint et quae ab Herodoto et Polyaeno tradita, et quae maxime probabilia de Pythagora coniecta sunt. Ut autem cum ceterorum computatione, quae de philosopho proferuntur,

---

42) vide Porphyr. v. P. 9.

43) v. Meiners. l. c. I, p. 304—372.

44) cfr. Clinton: Fasti H. p. 9 sub. Olymp. 60, 2.

45) Groteus l. c. p. 621, eum inter annos 560 et 540 Samum reliquisse profert.

46) vide: Geschichte der Pythagor. Philos. p. 7. Qui in Aegypto quoque fuisse philosophum p. 21 contendit.

47) Heerenium igitur sequor, qnem sine ulla causa annum 540 constituisse nonnulli putant. (cfr. Handb. d. G.)

consentire non possunt, ita, quae Bentleius [48]) et qui eum secuti sunt [49]), de initio tyrannidis coniectati sunt, cum Herodoti Polyaenique verbis non congruunt.

Pythagorae enim aetate falso computata nisus, tyrannidis initium circa annum 565, finem circa annum 523 ponit. Philosophum non anno 580 sed 605 natum esse contendens 25 annis a nostra computatione differt, quam ob rem mirandum non est, ab illo non 540 sed 540 et 25 (565) primum dominationis annum statutum esse.

Quem viri d. computationem multis scriptorum locis adversantem Panofka [50]) confirmare studuit, novum argumentum afferri arbitrans emendando Suidae verba [51]) et Herodoti locum [52]); subtiliter quidem, sed, ut Veegens, quamvis non accurate, tamen satis ostendit, perperam [53]) coniecit. Ceterum tam diuturna 42 annorum dominatio digna fuisset, quae ab Aristotele [54]), qui tyrannorum per longum temporis spatium dominatione ornatorum nomina memoriae tradidit, commemorata esset. Nimis breve vero esse videatur decem annorum spatium, quod ceteri tyranno tribuerunt, si, quae a Polycrate gesta esse traduntur, cum tempore conferuntur.

Veruntamen, quum non e pleno et limpido quasi fonte hauriamus, sed rivulis tantum, quos cursus longitudo turbavit, nunquam, nisi fons adhuc intactus reperietur, annum, quo Polycrates summa rerum potitus sit, tam accurate constituere poterimus, ut in dubium vocari non possit.

---

48) Resp. ad Boyle de aet. Pythag.

49) Panofka, Curtius, Plassius.

50) p. 30 ss.

51) Supra citata.

52) l. III. c. 48: γενεῇ πρότερον τοῦ στρατεύματος. cfr. Urlichs (Mus. Rhen. X. p. 18): inserta esse haec verba putans, quae Herod. ipse interpolatus sit.

53) Veegens c. 1.

54) cfr. Polit 5, c. 9.

§. 3 a.

Tria omnino apud Graecos exstiterunt genera imperii tyrannici, quorum duo, quod ad originem et potentiam pertinet, similia quodammodo haberi possunt regum dominationi [1]).

Tertium autem genus tyrannorum, quum summam imperii in similes atque etiam in meliores teneant et ad suam tantum utilitatem, non eorum, qui parent imperio, spectent, absoluto et summo respondet regno ideoque vel maxime tyrannis haberi potest [2]), Quare eius generis tyranni, qui, quum liberi ingenuique aequo animo dominationem ferre nequeant, invitis imperant, primo tyrannidis tempore summam operam confirmandae stabiliendaeque dominationi impendere, et in posterum etiam nunquam securitate fruentes omni ratione dominationem munire debent [3]), ut quaecunque ab iis sunt gesta, non ex iustis causis fluxisse, et etiam fructus, quos ex iis cives tulerunt, non laeti et uberes, sed acerbitate permixti plurimis videantur. Quam ob causam de eorum rebus gestis moribusque iustum proferre iudicium difficultatem habet, ac multi, qui hanc materiam tractaverunt, aut purgare eos culpa omni modo studuerunt, aut nimis nigros, ut Drumannus, eos depinxerunt.

Ceterum in iudicanda regis vel tyranni dominatione status civitatum vicinarum respiciendus est.

Polycratis autem aetate in Graecia ipsa Lacedaemonii, quibus Tegeae urbis opibus fractis magna Peloponnesi pars subiecta erat, non solum eius principatum tenebant, verum

---

[1]) cfr. Arist. l. c. IV. c. 8. adde III, c. 9.

[2]) Id. III, c. 11.

[3]) Thucyd. I, 17.

totius Graeciae urbes tanta auctoritate superabant, ut potentissimi barbarorum reges, Amasis Croesusque, foedus cum iis ferirent donisque eos ornarent. Urbs vers aemula, Athenae, tyranni dominatione tenebatur; et insulae, quae dicuntur Cyclades, partim libertate fruebantur, partim aliis civitatibus obediebant. Iones autem Asiam incolentes a ceteris Graecis derelicti, exceptis Milesiis, qui cum ipso Cyro foedus pepigerant, quamquam fortes viri pro patria pugnaverant, devicti et subiecti erant. Atque etiam, quamquam nulla causa erat metuendi, quia nec Phoenices Persis obediebant, neque illi ipsi classem possidebant, ultro sese in deditionem tradiderant insulae Chios et Lesbos, quas quidem non secuta est Samus.

§. 3 b.

Summa autem rerum potitus neque unquam per totum vitae spatium a fortuna desertus constantia, audacia, rerum peritia atque etiam perfidia res suas ita auxit, ut iam Cambyse regnante non solum per omnes Ionum urbes, verum etiam per ceteram Graeciam celebraretur [1]). Initio quidem rebus recen-

[1]) Herod. III. 39. Strabo XIV. 637; 638. Thucyd. I, 13: . . . καὶ Πολυκράτης Σάμου τυραννῶν ἐπὶ Καμβύσου ναυτικῷ ἰσχύων ἄλλας τε τῶν νήσων ὑπηκόους ἐποιήσατο, καὶ Ῥηνείαν ἑλών. . . . Quibus Thucydidis verbis nisus Veegens opinionem suam de anno tyrannidis natae fulcire studet.

Sed frustra! Fuit sane Polycrates Cambyse rege tyrannus, atque etiam pollebat, sed eodem iure iisdem ex verbis eum eodem regnante mortuum esse, colligi potest. Quid autem temporum ordo sibi velit, quem hoc loco ab historico servatum esse contendit, equidem nescio, quum scriptor generatim de civitatibus, quae navibus valebant, mentionem faciens, si ordinem servasset, non Phocaeos, qui Samiis thalassocratia antecessisse feruntur, sed alios commemorasset. cfr. Euseb. Chron. ed. May. p. 169. Castoris reliq. ed Mueller.

tis tyrannidis coactus simul cum fratribus administravit civitatem tribus partibus distribuens, quarum *Σχησία* et *Ἀστυπαλία* ab Etymologo, *Αἰσχριωνία* ab Herodoto refertur.

Notum quidem non est, quomodo res se habuerit, sed non est causa, cur negetur quemque fratrum partem civitatis, Polycratem vero eam, quae Astypalaea nominabatur, administrasse[2]). Quam sententiam Veegens refutans[3]), duas tantum tribus ibi fuisse contendit, quarum altera Aetoles, altera Iones sit amplexa. Sed errare videtur, quum etiam Cares et Leleges, qui per aliquantum temporis post Ionum adventum in insula sese tenebant, neque in gentem nomenque imperantium concedebant, *φυλὴν* formasse videantur[4], cuius nomen etiam Polycratis tempore valebat.

Sed haud ita multo post Polycrates solus Sami tyrannus evasit, quum alter frater Pantagnotus ab eo interfectus, alter natu minor Syloson patria eiectus sit[5]). Quo quidem tempore et quare ad tam nefarium facinus impulsus sit, non traditum est, ambitionem autem huius rei causam fuisse arbitror, quum etiam Sylosonta ambitiosum fuisse ex Herodoti verbis coniici possit[6]).

Communis vitae ratio, periculum, commodum socios reddit homines, foederibus coniungit civitates. Itaque tyrannorum alter alterius saluti, dominationique fulciendae, amplificandae,

---

[2]) cfr. Panofka p. 81. Guérin p. 180.
Ceterum Anacreon quoque Samum τριμερίστην dicit. vid. Reliq. ed. Bergk. p. 169; p. 164.

[3]) p. 22.

[4]) cfr. Plass l. c. p. 65. Tittmann: Staatsverf. p. 434; cfr. Grote II. p. 141.

[5]) Herod. l. c.

[6]) Id. III, 140 ss.
Coniectura, quam Veegens de tempore fecit, (p. 24) silentio prematur, quum nullius scriptoris verbis firmari possit.

omni modo succurrebat. Polycrates autem cum Lygdamide et per illum, quod coniicere licet, cum Pisistrato, viribus et auctoritate florente, coniunctus dominatum non minore amplitudine et splendore adornare potuit, quam quo sexaginta fere annis ante Periander, Clisthenes et Theagenes clari exstiterunt.

Atque etiam cum Aegypti rege, Amaside, amicissimo Graecorum viro[7]), qui iis mercandi causa urbem Naucratim ipsam assignaverat, amicitiam et foedus inierat[8]). Artissimum autem vinculum communis a Persis erat metus, quo commotus Amasis, qui quidem Lydis Babyloniisque auxilium contra communem hostem ferre neglexerat, periculum a Persis Aegypto instante praevidens Cyprum quoque insulam sibi subiecerat[9]).

Aliud quoque commodum tyranno exstitit ex amicitia cum rege inita. Nam quum Samii inprimis inter Graecos exportandi et importandi commercio cum Aegyptiis uterentur, nihil commodius ad conciliandos animos Samiorum, inprimis mercatorum, fieri potuit, quam cum illo Graecorum studiosissimo hospitium contrahere. Quo quidem tempore foedus initum sit, notum non est; sed, quum tyranni res brevi tempore auctae sint, ut Herodotus tradit, ac si ex Diogenis Laertii et Strabonis verbis[11]) quid concludi potest, primis tyrannidis temporibus eos socictate coniunctos esse, contendere possumus.

Nihil autem utilitatis neque Aegyptio, neque ipsi foedus praebere potuisset, nisi sibi classem navalem copiasque, prae-

---

[7]) Herod. II, 179.

[8]) Herod. III, 39.

[9]) cfr. Baehr. ad Herod. II, 182. Diodor. Sic. I, 68.

[10]) III; 39;

[11]) Diog. VIII, 1, 3. Strab. XIV, 1, 16.

sidium firmissimum ab externis et internis hostibus, parasset. Itaque heres eorum, quae a Samiis iam dudum mari potentibus [12]) usque ad eius aetatem elaborata et acquisita erant, tantas copias maritimas paravit [13]), ut Ionum, quorum vires bello Persico nisi fractae, tamen debilitatae erant, vix ulla civitas Samo par haberi posset viribus. Possidebat enim centum naves actuarias quinquaginta remorum [14]), quod navium genus, illa aetate et a Graecis et a Phoenicibus ad belli usum adhibitum, aptius quam triremes naves ad latrocinia et praedationes maris videtur fuisse [15]). Quare, quum Herodotus praestantissimas, quae ad principatum maris spectant, copias enumeret, mirari non liceat, cur triremes non referantur, quorum, quum quadraginta Cambysi in Aegyptum proficiscenti missas esse tradatur [16]), magnum numerum possedisse Polycratem, facile credas. Itaque, si in Danckeri sententiam disceditur, praeter ceteras naves octoginta certe triremes tyranno fuisse censendum est [17]). Sed Thucydidis verba [18]), qui illa aetate civitates, quae mari valuissent, paucas tantum triremes possedisse affirmat, hac cum sententia congruere non possunt. Duncker quidem ad confirmandam suam sententiam Polycrati, si exulibus revertentibus obsistere vellet, eundem reservandum fuisse triremum numerum, nisi maiorem, contendit. Sed hoc stare non potest. Quid enim? Nonne re-

---

[12]) cfr. Baehr. ad Herod. III, 139 et loc. l.

[13]) cfr. Grote. II, 512.

[14]) Herod. l. c.

[15]) cfr. Baehr. ad l.

[16]) Herod. III, 44.

[17]) Duncker in libr. cit. IV. p. 505.

[18]) I, 14.

Ceterum de pentecontoris cfr. Movers. Phoenic. (pars III, p. 174, 175. Wachsmuth. III, 3, p. 381 (edit. I.)

stabant centum illae naves actuariae ac samaenae! Victus quoque et fugatus est revera regredientibus obviam profectus[19]). Quod vero octoginta Milesiorum naves respicit, nihil sibi vult, quum non Polycratis aetate, sed quo tempore apud Ladan contra Persas pugnatum est, eos tantum numerum possedisse perhibeatur. Novum vero a Polycrate genus navium aedificatum esse, simile quodammodo triremibus, quia naves „κατέστρωντο δι᾽ ὅλου“[20]), a compluribus veterum scriptoribus traditur[21]). Eiusmodi navis, a patria samaena nominata[22]), planiore et latiore fundo oneraria et propter celeritatem navigandi actuaria adhibenda, ad apri quandam similitudinem accedere videbatur, quum eius prora reflexa et obtusa suis rostrum exhiberet[23]). Narratur autem ab Herodoto[24]), proras navium „καπρίους ἐχουσέων“, quas exules possidebant, ab Aeginetis resectas in templo Minervae dedicatas esse. Quibus ex verbis non sine iure concludi potest, naves easdem fuisse, quibuscum tyrannus exules illos Persarum regi auxilio miserat; itaque coniicere ausim, illo Herodoti loco, quamquam „τεσσεράκοντα τριήρεσι“ legitur, de samaenis navibus cogitandum esse. Atque hac ratione Thucydidis[25]) et Herodoti[26]) verba quodammodo inter se

---

19) vide infra.

20) Hesychius v. Σαμιακὸς τρόπος.

21) Hesychius l. c. Athenaeus XII, p. 540. E. Suidas v. Σαμαίνα. Plutarch. Pericl. XXVI.

22) Si enarratori in Aristophanis εἰρήνῃ fides est habenda, alia quoque navigia a patria dicebantur. Refert enim; Naxiurga erant navigia, quae fierent in Naxo insula, et etiam Cnidurges a Cnido, et cercurum a Corcyra. . . . cfr. Bayfius: De re navali.

23) cfr. Duncker. l. c. III, p. 952 vide Ruhnken. in Diss. de navv. parasemm. in Opusc. acadd. p. 279.

24) III 59.

25) I, 14.

26) III, 44.

congruere possunt, quorum alter, haud multum ante bella cum Persis gesta Corcyraeos tantum et Gelonem, Syracusarum tyrannum triremibus usos esse tradit, alter vero Polycrati tantum numerum attribuit, ut quadraginta earum Cambysi tradere posset.

Centum autem in pentecontoris praeter ceteros nautas mille sagittarios distribuit[27]; qui numerus non sine iniuria Larchero iusto minor videri posset, si hoc loco de cunctis militibus navium cogitandum esset. Baehr. vero illos fuisse satellites regios, quales apud alios quoque tyrannos occurrunt, censet[28]; sed nisi fallor, illa sententia verbis Herodoti adversatur, quum hoc loco non terrestres copias, verum, ut Baehr. ipse dicit, eas, quae ad maris principatum spectant, historicus commemoret. Quanti autem omnino momenti esse posset in exponenda tyranni potentia, corporis tantum referri custodes! Huc accedit, quod vulgo satellites non arcu, sed hasta sunt armati, quamobrem ab Herodoto ipso aliis locis „*δορυφόροι*“ nominantur[29], ac non ex indigenis ipsis eliguntur, verum ex externis gentibus arcessuntur[30].

Sagittarii autem illi „*οἰκήϊοι*“ nominantur, quam vocem quum eodem loco *ἐπικούροις*, *μισθωτοῖς*, mercenariis, opponantur[31], „in insula Samo nati“ verto, itaque illos viros non satellites, sed milites classiarios fuisse concludo. Atque

Pinder (Numismm. ineditt. I, p. 29, Tab. II, nr. 5) navem, quae in numo Samio conspicitur et cuius prora apri formam exhibet, samaenam esse putat.

27) Herod. III, 39.

28) cfr. eius nota ad l. cit. Idem Plass., Curtius, Duncker., aliique contendunt.

29) vid. Baehri not. ad I, 58. Darius (III, 139) δορυφόρος Cambysis nuncupatur.

30) Arist. Polit. III, 9, 4: »οἱ γὰρ πολῖται φυλάττουσιν ὅπλοις τοὺς βασιλεῖς, τοὺς δὲ τυράννους (τὸ) ξενικόν.

31) Herod. III, 45.

maiore cum iure, quod Athenienses quoque apud Salamina classem sagittariis instruxerant. Legimus quoque apud Libanium[32]) in piraticis navigiis sagittarios fuisse. Verba enim eius hoc modo vertenda sunt: „Vidimus navigium praedatorium in nos irruens; praedones autem prope admodum aberant; et confestim plenum fuit catastroma sagittariis et armatis militibus.“ Etiam rectae elocutionis rationi magis respondere videatur, quum particulis *τε — καὶ* a scriptoribus coniungi soleant res, inter quas certa quaedam relatio versetur, vel quae ad eandem pertineant notionem. Ceterum Cretenses eos fuisse iam eam ob rem non placet, quod sagittarios ex Creta arcessitos esse initio demum belli Peloponnesiaci legimus[33]).

Sed praeter mille sagittarios magnae copiae mercenariorum[34]) ex Ionibus et Caribus, qui rerum bellicarum studiosissimi[35]) olim latrocinia exercebant, deinde sub mercede conducti militabant, ei praesto fuisse traduntur. Firmum quidem praesidium contra externos hostes et contra indigenas ipsos, quod eorum sors tyranni fatis erat obnoxia.

Occurrunt autem apud alios quoque populos, apud Aegyptios Persasque, ac Polycratis aetate, quia res civitatum Graecarum Asiae minoris bello cum Cyro gesto confusae et solutae erant, sine ulla dubitatione facile conduci poterant[36]). Ad rem navalem vero Samii omnium Ionum maxime idonei habebantur[37]). Quare ex iis ipsis nautas, gubernatores, atque

---

[32]) Declam. XXXVIII. cfr. Ilias β' 719 — ἐρέται δ 'ἐν ἑκάστῃ πεντήκοντα: 'Εμβέβασαν, τόξων εὖ εἰδότες ἶφι μάχεσθαι.

[33]) cfr. Schoemanni Antiq. I.

[34]) Herod. III, 45.

[35]) Strabo l. XIV, 662.

[36]) cfr. Herod. II, 152; 163; III, 4, 11, 139; VI, 39. Diod. I, 68.

[37]) Paus. VI, 2, 9: ὅτι Σάμιοι τὰ ἐς ἀθλητὰς καὶ ἐπὶ ναυμαχίας 'Ιώνων εἰσὶν ἄριστοι.

etiam remiges ex civibus, qui minima fruebantur fortuna, sibi comparaverit. Neque aliter ceterae Graecorum civitates civibus infimae sortis utebantur remigibus[38]). Mercenarii quoque, qui ἐντελομίσθοι[39]) nuncupati sunt, ad eam rem adhibiti sunt. Quare quum Samus insula copiam hominum, quae tantae classi sufficeret, praebere non posset, Polycrates mercede sibi acquisivisse et postea, quum res florerent, aliis ex civitatibus, a quibus tributa exigebat, vi coëgisse videatur. Quod apud alios quoque populos fieri solebat[40]).

---

§. 4.

Iam vero nihil propius ab illo factum esse videatur, quam ut, quod cum commercio artissime coniunctum est, navibus opportunum, contra fluctus et tempestates securum et firmum pararet portum, inter promontorium Calophoneam et illud, quod nunc vocatur Kastri, situm, viginti orgyias vel centum et viginti pedes altum et plus quam duo stadia vel mille et centum pedes Rhen. longum, in mare construxit[1]). Quem aggerem a sinistro promontorio Kastri ad alterum tendentem revera eam longitudinem habuisse, quam Herodotus proferat, tranquillo maris aequore, ex vestigiis, quae restent, cerni

---

38) cfr. Xenophon vel potius Cephisodanus in oratione ad Ath. l. VII. Demosth. in orat. adv. Polyclet.

39) Suidas: Ὁ δὲ ἔπλεε νηὶ οἰκείᾳ, ναύτας ἔχων ἐντελομίσθους, οἴκοθεν Κρῆτας, τουτέστι ἐντελῶς μεμισθομένους. Thucyd. in libro I, 31: ἐκ δὲ αὐτῆς Πελοποννήσου ἀγείροντες καὶ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος ἐρέτας, μισθῷ πείθοντες.

40) Cic. in Verrem V. Superiorum fuit consuetudo, ut civitatibus certus numerus nautarum imperaretur. cfr. Liv. 42, 27.

1) Herodot. III, 60. cfr. Thiersch. Epochen der bild. Kunst p. 184; Panofka p. 4.

posse ii, qui haec loca visitaverunt [2]), testantur; sed de mensura, quae ad altitudinem pertinet, omnes, qui Herodoti verba secuti sunt [3]), errasse, ex iis, quae Guérin, qui diligenter rem perscrutatus est, apparet [4]). Ac revera vallum sexaginta circiter pedes supra maris aequor exstructum fuisse, iure in dubium vocari debet. Praeter hoc vallum autem alter agger [5]) 574 pedes tantum longus et media a portus ora meridiem versus exstructus portum vel *μυχόν* in duas partes, quae *ὅρμοι* vocantur [6]), dividebat, cuius pars extrema, ut Guérin ex lapidum fragmentis ibi per maris fundum dispersis coniicere vult, fundamentum erat phari. Qui quidem hoc modo medio in portu exstructus toti spatio lucem afferre poterat. Nunc quidem hic portus, cuius cornua, alterum 2550 circiter pedes, alterum, promontorium Kastri et vallum 2456 in mare proiectum, spatium amplectebantur, ut magna navium copia in ancoris stare posset, et cuius opera, ut cetera urbis munimenta, fortasse a Pericle in bello Peloponnesiaco diruta sunt, paucis tantum et parvis navibus refugium praebere potest.

Nec minore admiratione digna habenda sunt ea, quae ad muniendam urbem a Samiis et a Polycrate perfecta sunt. Moenia enim splendente marmore in superficie ornata, decem atque etiam quindecim pedes lata urbem omnibus a partibus

---

[2]) v. Tournefort Voyag. p. 160 ss. Ross: itinera II, p. 148; Guérin 203 ss.

[3]) Dunker, Plass, Panofka aliique.

[4]) v. Guérin. p. 204: La digue, inquit, n'avait pas la hauteur que lui donne Hérodote; car la plus grande profondeur de la mer le long de ce môle, en dehors, bien entendu, de cette quantité de matériaux accumulés, ne dépasse pas 10 brasses ou orgyes . . .

[5]) v. Guérin p. 205. Pococke autem, si quae § 33 p. 38 tradidit, cum aliorum descriptione (Ross et Guérin) conferes, quum minorem aggerem haberet eum, quem Herodotus descripsit, errasse videatur.

[6]) cfr. Potteri Archaeol. III, p. 120.

ita circumdedere [7]), ut et acropolim et astypalaeam amplexa sint; et pari sedecim pedum intervallo turribus et portis instructa tantam securitatem praebebant, ut Pericles, qui Samum machinis adhibitis, testudinibus et arietibus, expugnavit, haud sine iure dicere posset, se potentissima Ionum urbe, dum Agamemnon decem per annos barbarorum urbem oppugnasset, post novem menses potitum esse [8]). Moenia vero ipsa per Lesbios bello [9]) captos iussu tyranni alta et lata fossa circumdata erant [10]). Errat autem Curtius [11]), quum regiam tantum per Lesbios fossa munitam esse proferat. Iam vero si quaeritur, quid tyranno regnante, ad muniendam urbem factum esse, nihil quidem certi praeter pauca illa ab Herodoto [12]) et Polyaeno [13]) tradita, apud veteres legimus, sed ex fragmentis iam probari potest, non eodem tempore totum opus exstitisse; sed multas eius partes, quo tempore ars apud Graecos iam exculta erat, exstructas vel restauratas et emendatas esse. Ac dum vestigia in occidentali urbis parte plerumque pelasgicam aedificandi rationem exhibent, constructio arcis in monte Kastro sitae non differt ab Eleutherarum, arcis in Boeotia sitae, cuius pulchra vestigia adhuc summa admiratione dignae habentur [14]). Quam ob rem Guérin munimenta illius acropolis

---

7) cfr. Tournefort p. 416. Pococke III, § 33, p. 39. Guérin p. 139 ss.

8) Plutarchi Pericles l· c. Diod. XII, 28.

9) Quo quidem tempore et quam ob rem illud bellum gestum sit, non traditur. Schmidt (De rebus public. Milesiorum (Götting. 1855) sic disputat: »Polycratem hoc bello Miletum civitatem florentissimam opprimere voluisse, quod vero ipsi non successisse, ex ipso Herodoti silentio satis opinor concludere licet.« cfr. Veegens p. 28, 29. Panofka p. 28, et. 33.

10) Herod. III, 39.

11) I, p. 497.

12) III, 39.

13) Strat. I, 23.

14) cfr. Guérin p. 194, 195, p. 197: »C'est également à Polycrate,

a Polycrate condita esse putat. Munivisse autem, ut refugium sibi in extremis rebus pararet, astypalaeam tyrannum, narrat Polyaenus (v. loc. p. 40. cit.) Quae arx, primorum certe incolarum oppidum[15]), mari vicina et in colli centum et decem tantum metra, quae dicunt Galli[16]), alto sita portas et urbis ipsius orientem versus munimentum erat. Regiam Polycratis amplectens tam firma erat, ut adhuc rudera turrium, quae in angulis moenium exstructae erant, magnas ostendant saxorum catervas[17]). Cuniculum autem occultum, qui ex ipsa arce usque ad mare ducebant, cuiusmodi adhuc nonnulli per insulam inveniuntur[18]), non a Polycrate, ut Groteus[19]) et Curtius[20]) tradunt, sed ab eius successore Maeandrio effossum esse, ex Herodoti verbis[21]) elucet.

---

§. 5.

Sed praeter omnes has res ad muniendam dominationem idoneas etiam tyrannorum est bella suscitare et gerere[1]), praedationes et latrocinia facere, ut occupati sint civium animi neque ad moliendas novas res occasio iis dari possit, atque

---

que j'attribue les remparts de la grande acropole, dont la construction est identifique à celle de cette forteresse (sc. Eleuthéres).

[15]) v. Dunker IV, p. 503. Wachsmuth: libr. cit. append. 8 p. 316. Etym. Mag. s. v. V. Panofka p. 2, 13.

[16]) Guérin p. 198.

[17]) Ross. II. p. 182 et Guérin l. c.

[18]) Ross. II, 152.

[19]) II, p. 518.

[20]) I, p. 500.

[21]) III, 146.

[1]) Arist. Polit. V, 9, 5.

ut opes, ad sustinendos sumptus, quos ad faciendos res tyrannorum cogunt, parentur[2]). Itaque Polycrates quoque rem piraticam omni modo exercuit. Primis quidem temporibus piraticam facere nec turpe neque inhonestum apud veteres habitum est[3]), quia latrones nec bovem aratorem surripiebant, nec de nocte praedabantur[4]).

Itaque interrogati fateri se piratas esse non erubescebant veteres, neque exprobrati sunt ab interrogantibus. Postea vero exosa res erat, quum nullo discrimine facto omnia diriperentur, insidiae hominibus, praesertim feminis, pararentur. Quae facinora armis coërcere studebant homines, quod traditum est de Minoe, qui latrones, quoad potuit, e mari sustulit[5]); quas partes postea Corinthii, Athenienses, Lacedaemonii suscepere. — Polycrates igitur severam et insolentem latrocinandi rationem adhibuit. Nullo enim discrimine facto omnes circumcirca aggrediens agebat ferebatque omnia[6]). Nam si ea, quae eripuisset, restitueret, amico magis se gratificaturum putabat, quam si omnino nihil ei eripuisset. Insidiis quoque rem gerens naves eorum cepit, qui eius amicitiam vel securitatem ab inimicitiis non redemerant vectigalibus[7]). Quare mirari non licet, eum in odium diuturnum venisse eorum, quorum mercatura per illum magnopere impediebatur, ac, qui sponte bella gesserit, etiam contra suam

---

[2]) Thucyd. I, 15.

[3]) Schol. in Hom.: τὸ ληστεύειν οὐκ ἄδοξον, ἀλλ' ἔνδοξον παρὰ τοῖς παλαιοῖς. cfr. Thucyd. I, 5.

[4]) v. Schol. ad. Thucyd. l. c.

[5]) Thucyd. I, 5.

[6]) Herod. III, 39. cfr. Polyaenus I, 23: Ἔδοξεν εἶναι στρατηγικόν, εἰ κατάγοι κατὰ τῶν φίλων, ὡς εἰ ἀπαιτούμενα λαμβάνοιεν, φιλοτέρους ἕξει. οὐδὲν δὲ λαβὼν, οὐκ ἂν ἀποδοῦναι δύνασθαι.

[7]) Diod. Excerpta Vaticana p. 33.

voluntatem ad belligerandum esse coactum. Sed quot et quanta bella gesserit tyrannus, praeter unum illud cum Milesiis Lesbiisque feliciter confectum, nihil, quod probari posset, traditum est. Panofka quidem perperam eum etiam contra Cyrum Persarum regem bellum grave et diuturnum feliciter gessisse contendit[8]). Nam, etiamsi posthabetur, rem vel maxime memoria dignam ab nullo alio scriptore quam a Pseudopythagora[9]) proditam esse, de navali bello cogitari non potest, quia illo tempore Persae classem non possidebant et Graeci primum a Cambyse, quum expeditionem in Aegyptum pararet, ut naves praeberent, iussi sunt[10]): et ad sustinendum vel etiam feliciter gerendum bellum in continenti terra grave et diuturnum contra copias regis, qui omnes Ionum urbes expugnaverat, tyranni terrestres copiae minime sufficere poterant.

Quod autem ad Milesios pertinet, Schmidtius in libro de rebus publicis Milesiorum[11]) eorum civitatem Polycratis aetate potentissimam fuisse ac re navali magnopere valuisse putat.

Sed, nisi fallor, illo tempore ii intestinis bellis vexabantur et distrahebantur, quum apud Herodotum legatur, civitatem per duas hominum aetates seditionibus valde afflictam fuisse[12]), donec eius res composuissent Parii, quod factum scimus anno circiter 506. Huc accedit, quod Milesii virtutem ac strenuitatem per Lydos corrupti et in perniciosam luxuriam delapsi amiserant[13]). Quondam enim fuerunt strenui

---

[8]) l. c. p. 34.

[9]) Cedrenus ap. Menag. Observat. ad Diog. L. Pythag. VIII. 38. Consentit cum Panofka Guérin p. 188.

[10]) Herod. III.. 44. cf. Grot. II. p. 512.

[11]) p. 40.

[12]) V, 28.

[13]) Athenaei Deipn. XII, c. 26. cf. Duncker. IV. p. 127.

Milesii[14]). Quamquam autem ab Herodoto nihil aliud traditum est, quam Lesbios, quum omnibus cum viribus Milesiis auxilio profecti essent, a tyranno navali pugna superatos esse, tamen, quam ob causam bellum exortum sit, facile perspicitur, quum, ut omnibus fere Graecorum civitatibus, ita ambabus Polycrates ob vexationes invisus, illi autem tyranno in assequendo maris principatu impedimento essent. Supervacaneum igitur videatur, causas ex alto petitas, ut Panofka et Veegens fecerunt, proferre. Vires autem civitatis hoc bello non fractas, quamvis debilitatas, esse, cum ex Herodoti silentio, ut recte monuit Schmidtius, coniicere licet, tum ex eo apparet, quod brevi post Polycratis aetatem civitas Milesiorum per se ipsam magis quam unquam floruit et princeps totius Ioniae habita est[15]).

Profertur quoque a Panofka locus, qui legitur apud schol. ad Aristoph. Plut. vers. 1003, ubi Polycrates cum Milesiis, qui omnibus ex rebus felices evaserant, foedus initurus Apollinem consuluisse eique responsum esse traditur: „*πάλαι ποτ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.*“ Disseritur autem ab illo hunc in modum: „Milesiis bellum, non foedus, inferendum tum constituisse Polycratem, eo facilius putaveris, quo magis ad hanc expeditionem suscipiendam clade, quam Samii a Milesiis aliquot abhinc annis perpessi erant, eadem iam illis retribuenda incitabatur.“ Sed alio loco de Cypriis legitur „*τινὲς τοῖς Κυπρίοις φασὶ τοῦτο ῥηθῆναι ἔχειν συμμάχους*‘, et quum alio tempore aliis de eadem re consulentibus idem responsum esse tradatur[16]), ex Eustathii vero verbis[17])

---

[14]) Publ. Syr. sent. 777. vid. Paroemiogr. ed. Leutsch I Zenob. Cent. V. 80. et loc. oit.

[15]) Herod. l. c.

[16]) v. Zenob. Cent. P. 80 et not. (ed. Leutsch)·

[17]) ad Hom. Il. ω, 444: Μιλήσιοι . . . . ἕως μέν, φασίν, οὐκ ἐτρύφων,

Aristotelem certum factum non retulisse eluceat, rem ad Polycratis bellum cum Milesiis spectare, mea quidem sententia, probari non potest[18]).

Porro iam Polycrates ex omnibus fere bellis, quae gesserit, quum nihil ei accideret, quod nollet[19]), superior evasisse videtur. Etenim quocunque cum exercitu proficisceretur, omnia ei feliciter cedebant[20]), atque ita floruit fortuna et potentia, ut etiam maris imperium teneret[21]). Quo de maris imperio, quum hac in dissertatione maximi momenti habenda sit, nonnulla proferre placet. Ii, qui partem maris mediterranei tenuerunt, a Graecis superbo *θαλασσοκρατούντων* titulo ornati, imperium aliquot insularum maris Aegaei tenebant. Insulas possidebant, quarum imperium et *τὸ θαλασσοκρατεῖν*, per contemptum *νησύδρια* Thessalus vocabat Iason apud Xenoph. *Ἑλλ.* VI. p. 340, Sic Valckenaer. Variis autem temporibus et apud diversos scriptores vocis *θαλασσοκρατεῖν* vis ac notio non eadem semper fuit. Minos, qui Cnossii maris imperium tenens in Aegaeo mari, ut supra memoravimus, piratarum praedationes tollere studuit, *θαλασσοκρατήσας* dictus est[22]). De Phoenicibus, quia mercandi causa totum mare mediterraneum navigabant et emporia condebant, alio sensu verbum usurpatum est. Carthaginienses autem, qui mari praepollebant, iure illo voce ornati sunt[23]). Quod autem de

ἐνίκων Σκύθας καὶ πόλεις ἐφ' Ἑλλησπόντῳ ἔκτισαν καὶ τὸν Εὔξεινον κατῴκισαν, πόλεσι λαμπραῖς καὶ πάντες εἰς Μίλητον ἔθεον. ὡς ὑπήχθεσαν ἡδοναῖς, κατερρύη τῆς πόλεως ἀνδρεῖον, ὡς Ἀριστοτέλης φησί. καὶ παροιμία ἐντεῦθεν κατέπεσε τό· πάλαι ποτ' . . κ, τ. λ.

18) Idem sentinnt Schmidtius l. c. p. 38. et Baehr. ad Herod. lll, 39.

19) Cicero de finib. V, 30. v. Dio Chrys. XVll. p. 231; Val. Max. Vl. 9, 5.

20) Her. l. c.

21) Strab. XlV. 1, 16.

22) Thucyd. l, 4; Diod. lV, 60, V, 54.

23) Polyb. I, 7, 6; 16, 9.

seriorum temporum usu accipiendum est. Sed etiam ii, qui latrocinia in mari egerunt, ut Cilices et Cretenses, atque ii, qui maiorem navium copiam sibi comparaverunt, quam aliae civitates, ut Chii, Sinopenses et incolae urbis Spinae in Vmbria sitae, a Strabone *θαλασσοκρατοῦντες* nominati sunt. Quamobrem eandem vocem a scriptore de Polycrate adhibitam eandem quoque vim habere, facile credi potest; atque hoc modo Heyneus locum accipit [24]). Sed huic explicandi rationi obstare videntur, quae ab Herodoto [25]) et Thucydide [26]) proferuntur, quorum alter, ex hominum, quae vocetur, aetate Polycratem fuisse, qui magnam spem habuerit, fore ut Ioniae et insularum obtineat imperium, alter, maris imperium eum navibus tenuisse et insulas, inter quas Rhenaeam expugnasse dicit.

Tyrannus igitur non solum, ut opes ad muniendam dominationem congereret, piraticam exercebat, verum etiam maiora moliens, novum regnum insularum maris Aegaei sibi parare studens, in mari sese quam maxime potentem reddebat. Quam necessaria enim, inquit Casaubonus in Comment. ad Polyb., res sit ad magnum imperium sive parandum, sive firmandum, habere in sua potestate mare, etiam mediocriter periti rerum publicarum et eorum, quae nunc cum maxime geruntur *οὐκ ἀνήκοοι*, non ignorant." Omnino magnae potentiae praesidium et quasi pignus est, semperque fuit, mari dominari.

Quas autem insulas iam ceperit, quum praeter

---

[24]) Nov. Comm. Soc. Gott. Fom. Vl. p. 490.

[25]) lll, 122.

[26]) lll, 104. Ceterum inter Minoëm et Polycratem plures historicae quoque aetatis θαλασσκρατοῦντας fuisse enotaverunt Diodorus, Africanus, Castor, Eusebius, quos ordine digerere et tempore dividere quaesiverunt. Casaubonus in Polyb. p. 192; et Seldenus: De mari clauso l. I. 10. cfr. Heyneus l. c. I, p. 66—95; ll, p. 40—71. Watson Goodwin: De potentiae vett. Gent. marit. epochis p. 60.

Amorgum[27]) iam ante Polycratem occupatam et Rhenaeam[28]) nihil memoriae traditum sit, nescimus; ex manca autem singularum insularum historia illius aetatis nihil certi erui potest[29]). Recte vero Baehr. monere videtur, parvas Aegaei maris insulas fuisse, quibus revera potitus sit[30]). Quod autem ad urbes continentis pertinet, quas cepisse fertur, coniici quoque tantum potest. Iam ante tyranni memoriam in Prienensium agro Samii quoque nonnullos possedebant agros, quos postea a Persis ereptos esse facile colligas[31]). Nihil aliud autem notum est. Quare tyranno regnante florentibusque eius rebus complures continentis terrae urbes, ut Samiis tributa, quae etiam a Persis impendebantur, solverent, ab illo coactas esse, fortasse contendi potest. Atque hac ratione quodammodo Thucydidis verbis fides servari potest. Minime vero in eorum sententiam discedendum esse videatur, qui omnes Asiae Graecos, qui antea Thaletis prudens ac cautum consilium spreverant[31]), a Persis liberare suaeque dominationi subiicere Polycrati, Cambysis amicitiam affectanti, propositum fuisse putant. Qua de re de Pauv' dicit: ridiculum plane et absonum esse illud cogitare. Non ea enim fuisse Polycratem potentia, ut Ioniam posset Persarum regi eripere: imperium maris et insularum animo agitasse. Wesselingius autem: „ut amantes sibi, inquit, omnia fingunt, haud aliter ambitiosi. Polycrates mari, quod Ioniam adspergit, iam dominabatur. Crevit habendi cupido et hominem in perniciem detrusit, vana se spe lactantem“[33]).

---

[27]) v. Suidas s. v. Σιμμίας 'Ρόδιος. cf. Panofka p. 24.

[28]) Thucyd. III, 102.

[29]) cf. Dunker. IV. p. 506.

[30]) Nota ad Herod. III, 39.

[31]) cfr. Panofka p. 14.

[32]) Herod. I, 141.

[33]) cfr. Nota ad Herod. III, 122 in editione Schweighaeuseri.

Mari igitur copia navium dominans, urbes vicinae orae et insulas vectigalibus tributisque premens, „θαλασσοκρατήσας“ nominatus est tyrannus [34]). Consilium vero, omnes Graecos, qui Asiam incolerent, non imperio suo adiungendi, sed principatu tenendi eorumque imperio Persas repellendi molitus est, ut suam ipsius dominationem confirmaret. Iam vero hanc θαλασσοκρατίαν tyrannus clariorem reddidit grave depellendo periculum, quod ad tollendam eius dominationem creatum est a potentissimis terra marique Graeciae ipsius civitatibus, a Lacedaemoniis et Corinthiis. Cambysi enim Aegyptiis bellum inferenti cives, quos novandarum rerum suspectos domi habebat, specie auxiliariorum a Persis non evocatus tradidit petens ab eo, ne unquam domum remitteret [35]). Illi vero, qui tali modo a tyranno se e patria eiectos esse perspexerant, quum in Carpathio mari navigarent, deliberata re Persas deseruerunt; vel, ut alii putant, (cf. Herod. III, 45), quum in Aegyptum venissent, redire prohibiti furtim evaserunt et ad liberandam patriam reversi occurrentem cum reliquis navibus tyrannum superaverunt et in terram descenderunt. Sed Polycrates, qui ceterorum civium uxores et liberos navalibus inclusos habebat, eos una cum navalibus [36]) se crematurum minitans, si cives redeuntibus auxilio esse auderent, cum terrestribus copiis urbe egressus vicit et fu-

---

[34]) Samiorum θαλασσοκρ· in canone Eusebii post Phocaeos enumeratam Mueller. (Castoris fragm.) et Bunsen. (Aegypt. Weltst. V, p. 430 ss.) Polycrati attribuendam esse censent; ad eandem numos Samiorum, in quibus Iunonis caput et navis conspicitur, pertinere dicit Klausen: Aeneas et Penates I, p. 420. Ceterum vide Himerii verba in orat. XXX, 3.

[35]) Herod. III, 44. ss.

[36]) Navalia sunt loca, in quibus stant vel fieri solent naves. Suipas: Νεώςοικοι οἰκήματα παρὰ τῇ θαλάσσῃ οἰκοδομούμενα εἰς ὑποδοχίαν νεῶν, ὅτι μὴ θαλαττεύοιεν.

gavit exules, qui Lacedaemonem fugerunt[37]). Ibi quum magistratus supplicum more multis verbis adirent, responsum est, quae primi dixissent, oblitos se esse, quae deinde haud intellexisse[38]). Quare post haec altero congressu Samii nihil aliud dixere, nisi panarium, quod ferebant, farina indigere. Quibus responsum, vocabulum „sacci" supervacaneum fuisse. Nihilominus iis succurrendum esse censuerunt sive offensi interceptis Croesi cratere et Amasidis thorace, ut Lacedaemonii, sive memoria auxilii contra Messenios lati[39]), ut Samii affirmant. Navibus Corinthiorum, qui libenter ex-

[37]) Minime probabile esse tyrannum etiam pedestri proelio ab illis devictum esse, Herodotus ipse exponit. Ceterum hacce ex Herodoti narrattone elucet, tyranni, qui impetum exulum sustinere non potuit, potentiam tantopere celebratam iure in dubium vocari posse.

[38]) Si Plutarcho fides habenda, Lacones responderunt: τὰ μὲν πρῶτα ἐπιλελάθαμες, τὰ δὲ ὕστερα οὐ συνήκαμες, διὰ τὸ τὰ πρῶτα ἐπιλελάσθαι. Lacon. Apophthegm. p. 232. D. (coll. 216. A.)

[39]) Illud ad secundum bellum Messeniacum pertinere censet Baehr. ad Herod. lll. 48. 48. Corinthios ob contumeliam, qua per Samios affecti essent, remissis trecentis illis pueris in Corcyram, operam ad hoc bellum contulisse, idem Herodotus refert. Plutarchus vero Herodotum refutans, odio, quo contra omnes tyrannos flagrassent, commotos esse contendit. Sed ei fides haberi non potest. Maiore quidem cum iure, id quod ad Corinthios spectat, eum diluisse, iam patet. Quare si infelix persaepe Herodoti in argumentando ratio perspicitur et Plutarchi malignitas, non certo facto Lacedaemonios ad auxilium ferendum commotos esse, verum ea re, qua tota Lacedaemoniorum dirigebatur vita publica concludi potest. Iis enim, qui principatum non solum Peloponnesi, quem iam possidebant, sed etiam totius Graeciae quaerebant, res, quae omnibus fere Graecis cordi erat, posthabenda non erat. Idem fere hac de re Curtius I, p. 503. Corinthios vero facile in Lacedaemoniorum et Samiorum partes adductos esse patet, quum non solum ob damna, quae eorum mercaturae a Polycrate inferebantur, illi irati essent, verum etiam, qui ipsi tyrannorum dominatum experti sunt, odio contra omnes tyrannos vel maxime flagrarent. Herod. V, 78 narrat, eos una cum Lacedaemoniis Eleusinem invadentes, ut Isagoras Athenis tyrannus constitueretur, primos omnium secum reputasse, iniuste se agere, et sententia mutata socios rcliquisse, quum iam ambo exercitus ad profligendum in procinctu starent. Τὰς Ἀθήνας ἀπὸ τῶν τυράννων ἐλευθερώσαντες, πρότερον μὲν ἀπὸ Ἱππίου, ὕστερον δὲ ἀπὸ Κλεο-

peditionem amplexi sunt, usi multis cum militibus Samum obsederunt et moenia aggressi turrim mari imminentem haud procul a templo Iunonis conscenderunt ac tantum a Polycrate ipso magna cum manu auxilium ferente inde deiecti sunt [40]). At qui e superiore turri [41]) in dorso montis sita eruperant, mercenarii et Samii ipsi, postquam aliquantisper Lacedaemonios sustinuissent, in fugam versi ab hostibus insequentibus caesi sunt.

Ac capta esset Samos, si eo die omnes Lacedaemonii similes Archiae et Lycopae fuissent, qui una cum Samiis ad moenia se recipientibus irrumpentes, intercluso reditu, intra urbem occubuerunt. Lacedaemonii vero, quum post quadraginta dies in oppugnatione nihil profecissent, in Peloponnesum redierunt [42]) et exules, ubi se ab illis destitutos animadverterent aliquamdiu rem piraticam exercentes inopia

---

μένους καὶ Ἰσαγόρου. καὶ μετὰ ταῦτα, ὡς αὐτοῖ πρᾶγμα ποιεῖν ἐπεχείρουν Ἱππίου (Λακεδαιμόνιοι) καὶ τυραννίδα τῆς Ἑλλάδος καθίθασθαι, πρῶτοι μὲν αἰσθόμενοι, μάλιστα δὲ ἀλλήσαντες, ἡγεμόνες τοῖς ἄλλοις τῆς ἐλευθερίας καταστάντες. (Dio Chrys. in Corinth. z. 459). cf. oratio Sosiclis ap. Her. III, 92.

[40]) Ross. II, p. 107. Quattuor grandes columnas, quae haud procul ab ora occidentem versus conspicerentur, rudera huius turris esse censet; Guérin vero iilas a Romanis constructas esse et ad propylaeum pertinere putat (l. c. p. 200).

[41]) Exstat adhuc turris in occidente urbis parte tam artificiose constructa, ut summa sit admiratione digna, quam Guérin hoc loco ab Herodoto memoratam esse dicit (p. 197 et 198). Sed vide Baehri notam ad Herod. III, 54: qua Guérin refutatur.

[42]) Lacedaemonios, quibus ferrea tantum moneta uti licuit, a Polycrate plumbo deaurato corruptos esse, quum Herodotus ipse famam temere sparsam dicat, vix credi potest, praesertim si respicitur, quam firma fuerint munimenta urbis, quam Pericles novem menses obsidens machinis tantum adhibitis expugnare potuit. Lygdamidis vero dominationem eadem expeditione sublatam esse, nonnulli tradunt (cf. Duncker IV. p. 436. Not. Curtius aliique. Sed quum Plutarchus tantum hoc referat, quaecunque autem in libro de Herodoti malignitate c. 23 exposuerit, probari non possint, causa non est, cur hoc loco fides ei sit habenda. A. Stahrius in vers. Arist. Polit. pag. 296 Lygdamidem anno aut 540 aut 510 expulsum esse dicit. Quo iure nescio.

pecuniae in Siphnum transmiserunt ac deinde in Cretam insulam profecti sunt.

Ut de anno expeditionis nonnulla proferamus, tertio anno Olymp. LXIII (526) Cambysen expeditionem contra Aegyptios suscepisse testatur Diodorus [43]); et Eusebius [44]), Cambysen obtinuisse Aegyptum anno quinto regni sui refert. Quibuscum consentiunt Larcher., Clinton.; Lepsius [45]) anno 527 factum esse censet. Ex Larcheri quidem computatione, qui sexaginta quinque annos post bellum Herodotum in Aegypto versatum fuisse dicit, nihil concludi potest, quum Dahlmannus, qua est sagacitate, demonstraverit, eum intra annos a. Chr. 454—444 Aegyptum peragrasse [46]). Sed quum Cyrum anno 529 obiisse, Cambysen autem haud multum post Aegyptum invasisse ex Herodoto ipso constet, anno 526—525 bellum cum Aegyptiis itaque anno 525—524 expeditionem contra Samios fuisse, vix in dubium vocari potest. Quare Panofka [47]), Weissenborn. [48]), et qui eos secuti sunt, annum 530 proferentes, errasse videantur.

§. 6.

Verba illa Herodoti, Polycratem iactasse, se maiorem amico facturum esse gratiam, si quae abstulisset, ei redderet, quam si ab initio nihil abstulisset, magni momenti videntur esse declaranti, quid tyrannus de via ac ratione muniendae et am-

[43]) I, 68.

[44]) vide Clinton: Fasti ad annum 525.

[45]) Monatsberichte der Berliner Akademie (1854).

[46]) cfr. Quaestion. Herodot. (Heyse) p. 41.

[47]) p. 36.

[48]) cfr. Bause. p. 20.

plificandae tyrannidis cogitaverit. Qui enim hisce in rebus minoris momenti, quae ad commercium pertinebant, maxima licentia usus sit, eum, quae quasi consensu gentium sancta rataque erant, foedera, hospitium, necessitudinem amicitiae, non maiore cum fide servasse, si ex eiusmodi rebus periculum ipsius dominationi existere posset, non mirum est. Sed non minus hoc loco tenendum est, aliam regum hisce in rebus versari rationem et tyrannorum[1]), qui quum omni modo et ab externis hostibus et contra cives ipsos dominationem servare deberent, ne una cum imperio omnia perderent, amicorum rationem, etiamsi vellent, plerumque habere non potuerunt. Atque ita Polycrates quoque, non levitate quadam et pravitate animi, sed temporum et rerum conditione coactus foedus cum Aegytiorum rege initum videtur solvisse. Veteres quidem rerum scriptores, Herodotus et Diodorus non ab ipso, sed ab Amaside foedus renuntiatum esse dicunt, quamquam in referenda rei causa inter se discrepant. Herodotus[2]) enim tyrannum, nimis dextra omnibus in rebus fortuna usum literis ab Amaside monitum esse refert, ut invidiam deorum placaret se ipsum afficienda animi aegritudine et dolore feli-

---

[1]) Quod Drumannus in libello suo de Graecorum tyrannis non respexisse videtur.

[2]) Herod. III, 40 ss. De annulo Plinius XXXVII, 1: Eius gemmam fuisse sardonychem constat, ostenduntque Romae, si credimus, in Concordiae delubro cornu aureo inclusam etc. et XVI, 8: Polycratis gemma, quae demonstratur, intacta illibataque est. Quae verba Solinus c. 33, uti solet, sequitur. Sed Plinium errasse iam dudum Salmasius et Bochartus ostenderunt, (cfr. Wesseling ad Her. III, 41) et Herodoto Strabonique, quem secuti sunt Pausanias VIII, 14; Tzetzes Chil. VII, hist. 121 maior fides est habenda. Cfr. Lessing. Antiquar. Briefe 12; Urlichs (Rhein. Museum X, p. 24), Baehr. ad loc. et Wint. in Boettigeri Amalthea p. 14. Smaragdo vero lyram insculptam fuisse tradunt: Clem. Alex. III, p. 247 ed. Sylb. et Dio Chrysost. III; p. 185. Ceterum de gemmis ad annulos signatorios adhibitis vide: Layard: Nineveh and its remains II, p. 421. Creuzer: Zur Gemmenkunde p. 132; Heeren: Ideen I, 208.

citatem suam temperaret. Quibus tyrannus commotus annulum signatorium, auro vinctum, ex smaragdo lapide, Theodori opus Samii, Teleclis filii, in mare abiecit. Sed quinto aut sexto exinde die in piscis alvo repertus est.

Quod quum Amasidi nuntiatum esset, praevidens, tyrannum vitam infelici exitu clausurum esse, hospitium dissolvit.

Sed pulchra hac narratione scriptor notionem de divina invidia seu vindicta[3]), suo animo impressam, qua totum eius opus et adumbratur et continetur, perspicue exprimere voluit. Quem ad finem ei res maxime idoneae oblatae sunt.

Polycrates enim ipse fortuna ad summum potestatis et gloriae fastigium provectus brevi post miserrima sorte interiit; Amasis vero, eius amicus et hospes, prudens et providus omnibus in rebus moderatione felix reddidit imperium suum. Huc accedit, quod revera hospitium solutum est. Noli autem putare, totam rem ab Herodoto inventam esse; arripuit tantum id, quod fabulis admixtum ab hominibus de factis viri, insignis rebus gestis et tristi exitu, divulgabatur et quod ad exprimendam suam sententiam adhibere potuit. Probabilius quidem est id quod Diodorus refert, tyrannum ab Amaside, qui ipse fortasse eius iniustam gerendi rationem expertus est, quod contra cives et peregrinos ad assequendum id, quod proposuerat, saepe nimis severum et crudelem se praestaret, ut prudenter sibi temperaret admonitum esse. Sed ista explicandi ratione necessitudinem inter principes initam perperam speciem privatae rei ostendere, nemo non intelligit; atque haec est causa, propter quam Diodoro, quem sine cri-

---

[3]) cfr. Lehrs. populaere Aufsätze p. 35—66.
Baehri commentatio de Herod. in eius editione T IV. Cum nostro loco cfr. I, 32, de quo Valckenaer: qui Solonis illud cum Croeso colloquium, hanc etiam confinxit epistolam.« Lib. VII 46 ubi similia Artabanus ad Xerxem locutus est.

tica, quam dicunt, arte ex fontibus hausisse scimus, fides haberi non possit.

Iam vero Persas ex bello cum Aegyptiis superiores evasuros, haud difficile erat praevidere. Cambyses enim, aemulus gloriae patris, una cum navibus Graecorum et Phoenicum ingentes copias eorum, quorum animi memoria rerum sub Cyro bene gestarum ad belligerandum propensi erant, contraxit contra Aegyptum, quae morte Amasidis, sapientis et periti regis ducisque, summam victoriae spem perdiderat[4]). Filius autem, Psammenitus, nec vi et indole ingenii par erat patri nec eadem fruebatur auctoritate. Quae cum ita se haberent, Cyprii reguli, qui per duodecim annos tributarii Aegyptiorum fuerunt, regi Persarum sese dederunt et hoc modo dominatum sibi servarunt[5]). Quorum exemplum Polycrates quoque imitatus est, qui, si Aegyptiis auxilium tulisset, duplex sibi periculum parasset, et a Persis, quorum navibus sua classis resistere non poterat, et a Samiis, qui sine ulla dubitatione occasionem recuperandae libertatis arripuissent. Nihil autem agere iuxta erat periculosum, quum se, veterem Aegyptiorum socium, eandem sibi sortem, quam Iones post bellum Cyri cum Lydis experti essent, paraturum esse bene intelligeret. Itaque temporis ac rerum rationi cessit atque in speciem Persarum principatum agnoscens, praesens tempus derelinquens, futurum servavit.

---

[4]) cfr. Grote II, p. 495; Duncker II, p. 514.

[5]) Cyprios iam Cyro se dedisse refert Xenophon: Cyropaed. I, 1, 4; VII, 4, 2; VIII, 6, 8, qui etiam Aegyptios illi regi iam subiectos fuisse tradit. I, 1, 4.

§. 7.

Legitur apud Aristotelem[1]) „cives bonis spoliare tyrannorum est, quibus praesidium alatur, et ne ab operibus quotidianis otium iis ad parandas insidias supersit. Huius rei exemplum praebent pyramides Aegypti, Cypselidarum colossi donaque diis consecrata; et aedes Iovis Olympii a Pisistratidis aedificata, et opera publica Sami a Polycrate effecta.“ Quae verba a plerisque recentioribus rerum scriptoribus adhibita legimus ad exponendam causam, propter quam Polycrates ad exstruenda opera tantum curam et pecuniam impenderit. Animadvertendum autem est, omnia a Polycrate exstructa opera cum ad muniendam dominationem et ad amplificandam, tum ad communem civitatis spectasse utilitatem. Quae quidem iussu Polycratis exstiterint, quum Aristoteles generatim tantum de iis dicat, Herodotus de Samiorum operibus loquatur, ab alio autem nullo quidquam diserte traditum sit, coniici tantum potest, itaque hac de re recentiores inter se discrepant. Sed quum Aristoteles eius opera paucis tantum verbis tangat, illa per Graeciam nota, et quum eodem loco una cum pyramidis referat, praeclara quoque fuisse, equidem contendere ausim. Moenia autem urbis et arcis, navalia et quaecunque ad hanc rem spectant, quum Samiorum res iam aute tyranni memoriam florerent, magna ex parte ante eius

---

[1]) Polit. V, 9, 4. Ross: ἐγχειρίδιον ἀρχαιολογίας ll. epocha p. 125: Μεγάλως δὲ ἐβοήθησαν καὶ προήγαγον τὴν τέχνην κᾶὶ οἱ κατασταθέντες τότε πολλαχοῦ τῆς Ἑλλάδος τύραννοι, οἵτινες ἠθέλησαν διὰ μεγάλων ἔργων νὰ ἀπασχολήσωσι την προσοχὴν, τὰς χεῖρας καὶ τὴν περιουσίαν τῶν πολιτῶν. Opera autem a tyrannis facta memorantur: a Pisistrato: enneacrunos (Pausanias I, 141) templum Apollin. (Suid. et Hesych. v. ἐν πυθίῳ χέσαι.) a Clisthene stoa et sacrum Melanippi (Paus. ll, 9, 6. Herod. V, 67). a Theagene aquaeductus (Paus. I, 19).

aetatem condita, et quum vestigia, quae supersunt, non eandem aedificandi rationem ostendant[2]), non eodem tempore perfecta esse, facile colligas. Quare Dunckeri[3]) reprobanda, probanda vero Baehri[4]) sententia videatur, qui excepto Heraeo cetera opera, vallum portus et aquaeductum tyranno attribuit.

Quorum operum, quum de iis, quae ad rem militarem et navalem spectent, iam supra locuti simus, de aquaeductu est referendum. In eo insulae monte, qui nunc vocatus Castro, 880 circiter pedes Rhen. altus, fontem limpidum, Sancti Ioannis nunc nominatum, ab urbe separat, fossa septem stadia longa, octo pedes alta lataque, ab imo monte incipiens deducta est et per totum ita acta, ut duplici utrinque ore instructa esset. Per totam autem eius longitudinem altera excavata erat fossa, triginta pedes alta, tres pedes lata, per quam pura et salubris aqua ex illo fonte derivata, per tubos in inferiores urbis partes in maris ora sitas deducta est.

---

[2]) cf. Guérin p. 195.

[3]) IV p. 507, Not. cf. Thiersch. Epochen p. 18.

[4]) Herod. III, 60 Not. Aristotelem praeter architecturae opera plasticae, quam dicunt, artis res in animo habuisse, ut Plass. (Tyrann. I, p. 244 contendit,) nego, quod nec mentionem fecit de eiusmodi rebus, neque ad declarandam, quam protulit, sententiam, quae a singulis artificibus et non a magna hominum caterva creantur, apta haberi possunt.

Cf. Thiersch. l. c. p. 184. Curtius': Archaeol. Zeitung 1847, p. 30. Guérin.: Archives des missions scientifiques III, p. 475 ss. Barthélemy' Voyage c. 74. Perperam Tournefort (Relation d'un voyage du Levant, p. 161, 166: fontem prope vicum, quem nunc Mytilini vocant, fuisse, eiusque aquam per montem Cataruga nunc dictum fluxisse, putat, quum vestigia, quae restant, ut Guérin testatur, Romanorum manus ostendant.

Wesseling. et idem fere de Pauw et Reiskius: Fossa inquit, erat ἀμφίστομος, duplici instructa ore. Quare διὰ παντός non aliud vult, quam per eundem montem et iuxta priorem fossam excavatam fuisse alteram, quae aquaeductus vicem praeberet. Priore hominibus transitum dabat, ut, si quid aequaeductui labis fieret, sarciretur.

Heraeum vero, amplissimum Ionum templum, nec minus admiratione dignum atque Ephesi, Ionico genere, Polycratis aetate iam absolutum videtur fuisse[5]. Sita autem erat in ora meridionali haud procul a mari in regione, quae „κάλαμοι“ nominabatur, et occidentem versus unius horae itinere distabat ab urbe[6]. Mueller. vero primam Iunonis aedem doricam fuisse, postea a Polycrate novam Ionico genere exstructam esse censet, quem sequitur Ross. in ἐγχειριδίῳ suo[7]. Cui quidem sententiae nonnulla obstare videntur: quod nihil ab Herodoto eiusmodi traditum est; deinde quod vestigia, quae adhuc conspiciuntur, Ionicum tantum genus atque idem, quod et Artemisium Ephesi, exhibent[8]; ac denique, quod tam

---

[5]) cf. Urlichs. l. c. Thiersch. l. c. p. 185.

[6]) Apuleius: Florid. XV. Enimvero fanum Iunonis antiquitus famigeratum: id fanum, secundo littore, si recte recordor, viginti haud amplius stadiis ab oppido distabat. Revera autem id longius distasse refert Guérin: p. 187.

[7]) §. 100, σημ· 3. add. §. 72 σημ· 2 et §. 74, σημ· 1: »τὸ ἀρχαιότερον Ἡραῖον ἦν Δωρίου κατασκευῆς. ἴσως μετεποιήθη ὕστερον εἰς τὸν Ιωνικὸν κόσμον, ἢ ᾠκοδομήδη ἄλλο ἐπὶ Πολυκράτους·

[8]) De vestigiis cf. Pococke p. 408. Choiseul-Gouffier: Voyage dans l'empire ottoman t. I, p. 161. Dallaways. Constantinople ancienne et moderne: 't. II, p. 37. Leake, Asia Minor p. 348. Ross. l. c. II, p. 142. Guérin p. 223. Tournefort l. c. p. 404: »C'est l'ordre ionien dans sa naissance; et Guérin: p. 223: Il faut reconnaitre avec Tournefort, Pococke, Dallaway et Ross, qu'on avait employé dans ce moment un ordre particulier qui n'était ni l'Ionique, ni le Dorique proprement dit; . . . . . et pag. 224: »En outre, Samos appartient à l'Asie beaucoup plusqu' à l'Europe, et nous savons qu'en Asie l'ordre ionique a été celui des temples, puisque le fameux Artèmisium d'Ephèse, auquel travailla Théodore, l'un des architectes de l'Héraeon de Samos, fut construit dans se style.

Pococke aedem 470 pedes longam et 189 latam fuisse censet. (Ephesi templum 425 pedes longum et 220 pedes latum erat.)

Alio autem loco legitur. (Antiquités Joniennes). »Le temple de Junon, à Samos, semble avoir été décastyle et diptère, et avoir eu vingt-et-une colonnes sur ses côtés latéraux. Sa longueur parait avoir été de 344 pieds et sa largeur de 166.«

amplum et magnificum templum una hominum generatione perfici non poterat.

Hirtius autem, que malter quoque sequitur [9]), aedem Iunonis per Polycratem demum ita absolutam esse, ut per totam Graeciam celebraretur, ex Herodoti verbis [10]) vult concludere, quod vix satis probari potest.

Donis vero templum a tyranno ornatum esse, iam concedas, praesertim quum deos religionemque, ut tyrannorum est [11]), coluisse videatur. Haud multum quidem hac de re notum est. Traditur duas Amasidis imagines ex ligno sculptas et hospitii causa tyrannno a rege missas Iunoni a Polycrate dedicatas esse, quae usque ad Herodoti aetatem in templo post fores steterunt [12]).

Statuam vero deae ipsius magni aestimatam in eius honorem iussu Polycratis positam esse refert Apuleius [13]). Ceterum nobis quoque servata est statua, vilis quidem, quae Polycratis nomen exhibet et eam ob causam a Boeckhio illi assignatur [14]).

---

9) Plass. l. c. I, p. 244.

10) III, 60.

11) Aristot. l. c. V, 9, 15. Dona Hieronis et Gelonis Iovi Olympio et Apollini Delphico dedicata referunt Pausanias VIII, 42, 2; VI; Athenaeus VI, 232. Contrarium autem de Dionysio Maiore traditur.

12) Herod. II, 182. Qua de re cfr. G. Hermann (Ueber Boeckh's Behandll. d. Inschriften p. 203). Sed Boeckh. in publico statuas positas esse, ab Amaside Graecis in civitatibus, credi non posse, cum religionis causa illa in templa dicasset. (cf. Corp. Inscript. Graec. I., 3. p. 872) cf. Baehri Not. ad locum.

13) Ap. Florid. II. p. 15.

14) Corpus inscrip. I., p. 13. Statua, inquit, quae, quatenus ex Hirtio Nostro comperi, hodie in Museo Naniano non iam exstat; unius palmi altitudine, ex aere fusa, stilum Graecorum priscum refert. . . . . . Quodsi hoc donarium Polycratis opibus tenuius videatur, cogites opus hoc nihil esse, nisi lychnuchum. (l. c.)

§. 8.

Iam vero tyrannis curandum est, ut deos religionesque semper egregie colere videantur, quum iniuriam homines a talibus principibus minime metuant, si principem religiosum esse et deos auxiliares habere arbitrentur. Vera sunt haec verba [1]) et probata usque ad nostram aetatem. Polycrates autem ita, ut Pisistratus Delum insulam lustravit, Rhenaeam [2]) insulam haud procul a Delo sitam, cepit deoque, ut animos Graecorum sibi conciliaret, dicavit.

Sed alia quoque re eundem finem assequi studebat, quam quominus perficeret, morte est impeditus. In insula enim Delo, *ἑστία κυκλάδων*, iam ab initio fere Olympiadum Iones, qui insulas maris Aegaei incolebant, ac plerique Graeciae Asiaeque minoris, sollemnes dies constituerant, per quos ad sacrandum ludosque celebrandos ibi conveniebant vel legatos mittebant [3]).

---

[1]) Arist. l. c., cuius cum verbis comparari potest id quod Machiavelli eodem fere cum sensu profert. vide »principe c. 18.« »tutto pieta tutto religione« esse vel potius esse videri debent, qui dominantur. cf. eiusdem discorsi I., c. 11.

[2]) Strabo X, 486: Rhenaea est exigua et deserta, intra quartum a Delo stadium, ubi sepulcra sunt Deliorum; nam mortuum in Delo sepelire non est fas, nec cremare. Quam insulam ponte cum Delo a Polycrate coniunctam esse Panofka Thucydidis verbis, III, 104, quo quidem loco de ponte nihil legitur (τὴν Ῥηνείαν ἑλὼν ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δηλίῳ ἁλύσει δήσας πρὸς τὴν Δῆλον.) nisus contendit. Sed de catenis certe hoc loco cogitandum est, qua ratione persaepe a veteribus dedicatio alicuius rei significabatur. cf. Herod. I, 26: de Ephesiis, qui funem ex Dianae templo in murum deducebant; et de coniuratis Cylonis, Plutarch. Vit. Solon. c. 12. In universum hac de re: Raoul-Rochette. Mem. de l'académie des inscriptions XVII, p. 20, et Creuzeri Symbolik. IV, p. 40.

[3]) Platonis Phaed. p. 58 A. Philochori fragmenta 158. Thucyd. III, 104, 105. Plut. Nic. 3. Strabo X. 484. De solemnitate cf. Hymn. in Apoll. 145 et Pindari fragm. 64, 65 (ed. Bergk.).

Mirandum vero non est, insulam opportune sitam eam ob rem sensim primum navigationis emporium Graeciae Asiaeque minoris evasisse. Quam rem respiciens Polycrates hanc insulam centrum regni maris Aegaei, ubi communi Apollinis cultu Iones continerentur, sibi elegisse itaque, ut propositum efficeret, ludos, quorum splendor variis rebus atque etiam eius re piratica minutus erat, maiore cum sollemnitate instituisse videatur. Quo quidem tempore hoc factum sit, colligas ex eo, quod Apollinem interroganti, ludos utrum Delia an Pythia nominaret, responsum esse, veteres tradunt. Dictum enim est: „*ταῦτα σοι καὶ Πύθια καὶ Δήλια*“ [4]). Cuius oraculi, quod postea in proverbium abiit, sensum esse, brevi peribis et putresces, recte monuit Dobreus [5]).

Interitu igitur non perfectum videtur esse, quod propositum erat, ac revera, quantum colligi potest, post centum demum annos, quum Athenienses in principatu maris Aegaei cenfirmando magnam curam ponerent, Delus insula quodammodo centrum *ἡγεμονίας*, quam dicunt, videtur fuisse [6]). Quare Curtium, qua est ubertate ingenii, plus quam probari possit, de tyranni principatu coniecisse, non sine iure contendi potest [7]). Quanta quidem iam auctoritate apud exteras quoque nationes fructus sit, intelligas ex eo, quod Arcesilaus III,

---

[4]) Apostol. Cent. XV. 9: »Πύθια καὶ Δήλια ἐπὶ τῶν ταχέως ἀπολλυμένων·« vel Zenob. Cent. VI.: ἐπὶ τῶν ὕστατα καὶ τελευταῖα ποιούντων· Menandri fragmenta CÇXV: Φασὶ Πολυκράτην τὸν Σάμου τύραννον Πύθια καὶ Δήλια ποιήσαντα ἅμα ἐν Δήλῳ πέμψαι εἰς θεοῦ χρησόμενον, εἰ τὰ τῆς θησίας ἄγει κατὰ τὸ ὡρισμένον: τὴν δὲ Πυθίαν ἀνελεῖν‘ ταῦτα σοι καὶ Πύθια καὶ Δήλια, βουλομένην δηλοῦν, ὅτι ἔσχατα· μετ' ὀλίγον γὰρ χρόνον αὐτὸν ἀπολέσθαι συνέβη· cf. Photius et Suidas. v. Πύθια καὶ Δήλια·

[5]) Advers. II, 607.

[6]) Athenienses enim anno 426 insulam lustrasse et dies festos sine magno quidem eventu restituisse constat. cf. Boeckhii Oeconom. Athen II, p. 214—242; corp. inscript. I, p. 252—259.

[7]) v. I, p. 498.

Cyrenae rex, a civibus expulsus, Samum [8]) ad Polycratem fugit, a quo adiutus tyrannidem nimis crudelem instituit. Quam rem a Panofka relatam reprobat Veegens, eam cum temporum ratione congruere non posse contendens. Sed uterque erravit, Panofka: quum regem iam anno 534 Samum venisse putet, quod fieri non potuit, quum anno 529 demum Arcesilai dominationem coeptam esse constet [9]). Veegens autem perperam seditionem Cyrenes exortam esse Aegypto a Persis iam subacta dicit, quod minime ex Herodoti verbis colligi potest. Imo vero, si res ita se haberet, ille Arcesilaus, quum Cyrenaei statim post Aegyptiorum cladem sponte sese Persis tradidissent [10]), eorum tributarius, non Polycratis, sed Cambysis auxilium implorasset, quod postea quoque ab eius matre factum esse scimus.

---

§. 9.

Iam vero ad exponendam gubernandi rationem mentio facienda de nonnullis rebus videatur, quas a veteribus traditas habemus. Alexis apud Athenaeum XII, 540: „Multis e civitatibus Samus a Polycrate exornata est, qui canes adsciverit Molossos et Laconicos, capras e Scyro et Naxo, oves ex Mileto et Attica.“ Clytus vero, Aristotelis discipulus in

8) Herod. IV, c. 162. cf. Panofka p. 36.

9) v. Wesseling, ad Diod. Excerpt. VIII, tom. II, p. 550 ss., qui seriem Cyrenaeorum regum constituit; et Boeckh. ad Pind. Pyth. IV, p. 265; 266.

10) Herod. III, 13, ss.

libris de Mileto: „Polycrates, Samiorum tyrannus, luxus studio, quidquid ubique nobile et clarum, coegit, canes ex Epiro, capras et Scyro, e Mileto oves, sues e Sicilia."

Ac Clearchus, „Polycrates, inquit, delicatae Sami tyrannus, ob vitae lasciviam periit, quum omne genus mollitiei Lydorum aemultaretur. Quare dulci Anconi, qui Sardibus vocabatur, apud Samios Lauram opposuit, et Lydorum floribus opposuit famosos illos Samiorum flores. Erat autem Samiorum Laura[1]) vicus quidam in urbe, mulieribus publicis repletus; sunt autem Samiorum flores, mulierum et virorum praestantes formae, atque etiam totius civitatis intemulentia, hilaritas, laetitia."

Sunt, qui hos scriptorum locos respicientes, haec omnia ad exornandam tantum patriam vel ad tollendam agriculturam facta esse dicant, inprimisque Veegens[2]); „omnino, ait, plerique veterum videntur ignorasse eam reipublicae administrandae partem, quae valet ad augendam civitatis prosperitatem non praeda et rapinis, sed industria civium et populorum inter se commerciis." Sed hac de peculiari sententia nihil dicendum est, quum historia ipsa loquatur. Alii vero illas res ad aliam nullam rem spectare putant, quam ad mores Samiorum molles delicatosque reddendos ideoque eorum animos ab amore libertatis et a strenue fortiterque agendo amovendos. Sed Polycrates bene perspiciens ad confirmandam dominationem necessarium esse mollitiem luxuriamque nasci, splendore vero et magnificentia animos de rebus publicis avocari, utrumque ita efficere studuit, ut sibi speciem benevolentiae erga patriam ser-

---

[1]) De Laura cf. Macarii Cent. Vll, 35. Vlll, 2: proverbium esse ἐπὶ τῶν εἰς τρυφὴν ἐκκεχυμένων, vel ἐπὶ τῶν μεθύσων· cf. Suid. v. Σαμίων. et Eustath. ad Homeri Od. X, 1922.

[2]) l. c. p. 69.

varet. Talibus autem rebus prohibetur, quominus existat inter eos ingenii animique elatio et fides, ac *φιλία*[3]) illa, qua tyrannis evadunt adversarii vel maxime metuendi[4]).

Atque eandem ob causam palaestras everti iussit[5]), in quibus membra animique ad maiora perficienda exercebantur, quod quoque ab aliis tyrannis, inter quos ab Aristodemo illo, Cumarum tyranno, factum esse traditum est. Ceterum id quod optaverat, non ad irritum videtur cecidisse, quum Samios postea luxuriae et voluptati indulgentes, a Persis in servitutem redactos esse a veteribus narretur[6]). Quod accidisse videatur, quo tempore Polycratis frater Syloson, a Persis tyrannus Sami factus est. Omnibus autem rebus, quae ad voluptatem spectabant, non solum Samus ipsa magna ex parte ornata est, verum etiam, quod maioris momenti habendum est, civium animi, qui tyrannide ab administranda republica amoti erant, ad alias res, ad mercaturam et negotiationem, magis quam antea vertebantur.

Quamquam enim Polycratem eas res, quae ad cultum deorum spectabant, servasse probabile est, tamen vetera rei publicae gerendae instituta et leges ab illo respecta esse

---

[3]) Plat. Sympos. 182 C. Ceterum ad idem spectat, quod Croesus Cyro suasisse refertur, ut iubeat Lydos tunicas sub palliis gestare, cothurnos pro calceis induere, citharam pulsare et canere (Herod. I, 154—157) Xerxem vero Babyloniis desciscentibus eandem poenam irrogasse, tradit Plutarch. cf. Iustinus I, 6, et VII, 6, 4.

[4]) Arist. l. c. V, 9, 2: Sunt autem ea, quibus tyranni servari solent, omnia prohibenda; illa inprimis, quibus duo evadere solent, animus elatus et fides.

[5]) Athen. XIII, 602. cf. Arist. l. c.: »tyrannorum est, nec convivia publica ferre, nec sodalitates, nec doctrinam, nec quidquam aliud tale permittere.« — Non possum, quin edicta illa commemorem, quibus nostro quoque seculo in Italiae civitatibus coetus et conventus etiam ad doctrinam excolendam vetiti sunt.

[6]) cf. Plutarch. Centur. I, 61 (Paroemiogr. ed L., (διὰ ταύτην τὴν τρυφὴν οἱ Σάμιοι τοῖς Πέρσαις ἐδουλώθησαν).

ut Kortumius contendit[7]), omni tyrannorum regnandi rationi repugnat, inprimis quum Polycrates tyrannis multis in rebus iam posteriorum temporum similis sit[8]). Praetermittendum quoque non est, nonnulla tradi a veteribus, quae eum in regendo insolentem ac minus iustum ostendunt. Quae quidem magna ex parte tyranni conditione excusanda sunt. Quamquam enim nihil tam proprium est hominis, quam beneficiis alligari, tamen a tyrannis observandum est, ut in civium animis metus una cum gratia coniungatur, ut demissos gerant animos, quum qui angusto et parvo est animo, nemini paret insidias[9]).

Polycrates autem civium animis formidinem incussit, quum regni causa tantam severitatem adhibuisset, ut non veritus sit fratres, alterum patria, alterum vita privare. Eiecit ex patria ac bello periculisque obiecit eos, quos suspectos tantum novandarum rerum habebat. Quum bello per exules commoto in periculo versaretur, uxores et liberos, quod iam supra narravimus, civium, ut omnes eorum motus conatusque recuperandae libertatis prohiberet, navalibus inclusit, quae una cum illis, si Samii in hostium partes transirent, comburere minatus est.

Ac licenter quoque contra cives sese gessisse videtur, quod matres eorum militum, qui in bello occisi erant, illis

---

[7]) l. c. in cap. de Samo.

[8]) Pecunias publicas ab illo per Maeandrium administratas esse ex Herodoti verbis elucet (lll, 142).

[9]) Suo iure Montesquieu (Espris des lois lll, 9): »Comme il faut de la vertu dans une république et dans une monarchie de l'honneur, il faut de la crainte dans un gouvernement despotique: pour la vertu, elle n'est point nécessaire, et l'honneur y serait dangereux. Des gens capables de s'estimer beaucoup eux-mêmes, seraient en état, d'y faire revolutions. Il faut donc que là crainte y abatte tous les courages, et y éteigne jusqu' au moindre sentiment d'ambition.

civibus, qui divitiis praestabant, alendas tradidit [10]. Qua quidem ex re, quae opprobrio ei esse debet, mercenariis militibusque ceteris, quibus niti imperium bene intelligebat, eum consuluisse apparet. At non conferri potest cum illo, quod de aliis tyrannis, quod de Dionysio maiore traditur, qui filias civium etiam servis captis in matrimonium dedit, et cui etiam in proeliis mercenarii tantae curae erant, ut caesis permultis civibus et sociis ne unus quidem eorum, neque in fuga neque in acie ipsa occideret. Nec vectigalibus et tributis, ut Dionysius fecit, qui opes Syracusanorum quinque annorum spatio tributi nomine contulit [11], graviorem redditam esse a Polycrate tyrannidem traditur. Colligere quidem licet, civibus tributa imposita esse, ut sumptus ad exstruenda opera, ad gerenda bella et alendos milites necessarios sustineret, sed non praetermittendum est, magnam certe partem eorum praeda et rapinis, quae ex re piratica fluebant, solvi potuisse. Huc accedit, quod Samiorum res mercatura et commerciis cum aliis populis florebant, divitias sibi cives acquisiverant, ut exhaustos esse a tyranno credi non possit.

Ceterum si cogitamus, quantopere nomen tyranni apud veteres fuerit odiosum et invisum, ac si Herodoti laudes de illo [12], et pauca in malam partem de tyranno tradita cum iis

---

10) Zenob. V, 64: »Πολυκράτης μητέρα νέμει: μέμνηται ταύτης Δοῦρις. λέγει δὲ ὅτι Πολυκράτης ὁ Σάμιος τῶν ἐν τῷ πολέμῳ ἀποθανόντων τὰς μητέρας συναγαγὼν, δέδωκε τοῖς πλουσίας τῶν πολιτῶν τρέφειν, πρὸς ἕκαστον λέγων ὅτι· Μητέρα σοι ταύτην δίδωμι· Ὅθεν ἡ παροιμία ἐκράτησεν· cf. Plutarch. Cent. I, 58.

11) cf. Wachsmuth. II, 1, p. 103. Arist. l. c. V. 9, 5. Ceterum idem: »Tyrannicum videri oportet, tributa et exactiones ita imponere, ut providendi et dispensandi gratia numos congerere videatur; cum bellum inciderit, ad usum militarem.

Polycratem autem magnas opes sibi parasse, ex Herodoti verbis patet. cf. III, c. 142, 148.

12) Herod. III, 122.

comparamus, quae de aliis ac plerisque tyrannis nota sunt, negari non potest, Polycratem, etiamsi aliquando rebus coactus minus iustus fuit, non solum industrium et constantem fuisse in propositis consiliisque, verum etiam aliis in rebus, quae ad ingenium moresque pertineant, iure cum Pisistrato melioribusque Graecorum tyrannis conferri posse.

§. 10.

Porro iam hinc gradum faciamus ad exponendum, quo pacto Polycrates se praebuerit fautorum artium liberalium, quas omnes fere tyrannos, quamquam multos non mero amore, amplexos esse constat. Fuerunt enim, qui regiam suam sedem poetarum et artificum facerent, ut se ipsos splendore quodam circumdarent ideoque tyrannidem similiorem redderent pristinae regum dominationi [1]). Polycrates vero optime de litteris meritus est, quod aeque ac Pisistratus Atheniensis aliique bibliothecas collegit [2]). Eius autem aetate Graeci, quod necessitudine cum Aegyptiis inita maiorem sibi chartae copiam comparare poterant, itaque opportunitas divulgandi data erat, quae a poetis philosophisque erant scripta, ediderunt et col-

---

[1]) cf. Arist. l. c. V, 9, 10. Reprobanda esse verba Aristotelis V, 9, 2 et 7 censet Wachsmuth I, p. 287 (ed. I), quum a tyranno excultas esse artes, constet; sed, nisi fallor, Aristotelis verba de gymnasiis sodalitiisque iuvenum inprimis intelligenda sunt. Ceterum cf. Ulrici: Ueber die hellenische Poesie Tom I, p. 237 ss.

[2]) Athenae. D. I, sect. 5. (3 Cas.): »Ἦν δὲ, φησὶ, καὶ βιβλίων κτῆσις αὐτῷ ἀρχαίων Ἑλληνικῶν τοσαύτη, ὡς ὑπερβάλλειν πάντας τοὺς ἐπι συναγωγῇ τεθαυμασμένους, Πολυκράτην τε καὶ Πεισίστρατον, κ· τ· λ·

legerunt. Samii vero vicinique Milesii iam ante tyranni memoriam litteras Ionicas vel maxime inter Graecos conformaverunt et adhibueruut[3]). Quibus rebus Polycratis propositum sublevatum esse videatur. Exstiterunt autem eodem tempore Homerici, quos dicunt, interpretes, qui fabulis Homericis divulgandis operam navarunt. Quare, quum sine dubio apud Samios quoque Homeri carmina trita fuissent et celebrata, Polycrates in iis colligendis et transcribendis operam navasse videatur, et quod ea, quae in patria ipsa exorta sunt, prae ceteris recitantur et propagantur, Asii poetae carmina certe ab illo non neglecta sunt. Atque etiam Anacreontis Ibycique carmina, poetarum, qui per aliquantum temporis apud eum versati sunt, sine ulla dubitatione collegit. Quod quum ab Athenaeo inter studiosissimos eius rei referatur, alia quoque multa collegerit, quamquam vix quidquam amplius confirmari potest probabili coniectura[4]).

Ac si iam ex hac re colligere licet eum sibi arcessisse viros ingenii cultu praestantes, domesticum usum ei fuisse cum claris illius aetatis poetis, quos supra nominavimus, veterum exstant testimonia. Primus autem afferendus est Anacreon Teius, qui cum tyranno usque ad eius mortem memorabili necessitudine coniunctus erat[5]). Mirandum quidem, quod recentiores rem tantum tetigerunt. Si comparantur testimonia, quae illam evincunt, ex Maximi Tyrii et Herodoti verbis plus quam tyrannum a poeta ita consuetudine devin-

---

[3]) cf. Nitsch: hist. crit. Hom. p. 100. Falsa est Varronis apud Plinium (H. N. XIII, 11) sententia: Alexandri demum magni aetate repertam esse papyrum. cf. Herod. v. 58 et Cass. Hemina c. XIII.

[4]) Athen. l. c. cf. Wolfii prolegomena ad H. p. 87, Not. Welckeri Cycl. epic. p. 380.

[5]) cf. Max. Tyr. XXXVII, p. 209. Aeliani V. H. IX, 4; cf. XII, 25. Strabo XIV, 1, 16; Athen. XII, p. 540 (ed. Tauchn.). XV, p. 675. D. Paus. I, 2, 3. Herod. III, 121; Suid. s. v.

ctum esse, ut nemo ei gratior esset aut acceptior, ut Bergk concludit, probari potest. Si enim iam ex Maximi verbis [6]) apparet, qui altero quoque loco tyrannum felicem dicit, quod in amicis Anacreontem habuerit, poetam tyranni austeram et vehementem agendi rationem temperasse, ex Herodoti verbis [7]) non sine iure concludi potest, eum non solum amoenae et delicatae vitae, verum etiam administrandae civitatis participem et socium fuisse. Quod primum quidem Léfèbre [8]) contendere ausus est; Tanaquil Faber autem et eius filia poëtam arcanorum participem, primum tyranni ministrum, ut ita dicam, fuisse credunt [9]).

Praeter Anacreontem Ibycus Rheginus, quem maxime omnium amore flagrasse dicit Cicero, apud eum versatus est, etsi verba Suidae, qui rem refert, integra haberi non possunt. „*Ἴβυκος*, inquit, *εἰς Σάμον ἦλθεν, ὅτε αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης ὁ τοῦ τυράννου πατήρ. Χρόνος δὲ οὗτος, ὁ ἐπὶ Κροίσου, ὀλυμπίας νδ.*“ Apparet et verba, *Πολυκράτης πατὴρ* et tempus prolatum congruere non posse, quamobrem Panofka (p. 30), *πατήρ* in *ποιητής* mutare, Schneidewinus [10]) vero *τῶν τυράννων πρῶτος* legere vult. Sed, ut cetera omnia praetermittantur, quod hoc modo temporis ratio non habetur, coniectura utriusque vix probari potest. Quare coniicere hoc loco falsa temporum computatione interiecta esse verba *ὁ τοῦ τ' π'*,

---

[6]) Polycratem Samiis mitiorem reddidit Anacreon, eiusque tyrannidi Smerdiae amorem, Cleobuli comam, tibiasque Bathylli et Ionicos immiscuit cantus.

[7]) Quum Oroetis praeco apud tyrannum verba faceret, Polycratem in exhedra forte decubuisse et ei affuisse Anacreontem Teium. III. c. 122.

[8]) cf. E. Moerike: Anakreon und die Anakreont. Lieder p. 7.

[9]) Quanta auctoritate vir floruerit, ex eius necessitudine cum Hipparcho, Critia, Xanthippo, Simonide patet. cf. Plut. Hipparch.: p. 228. Charm. p. 157 e. Schol. Prometh. 128.

[10]) In editione fragm. Ibyci.

inprimis quum hoc modo persaepe erratum sit, mihi quidem haud absurdum videtur. Sunt quidem qui, duum res a Suida tantum tradita sit, poetam apud Polycratem aliquantum temporis degisse reprobent, sed plerisque [11]) rem probare placuit. Schneidevinus autem etiam carmen in Samum insulam a poeta pactum esse, quo tempore sedem suam in aula Polycratis fecerit, ex verbis paucis quidem, quae supersunt, coniicere vult.

Clarissimus quoque eius aetatis medicus, Democedes, qui postea ὁμοτράπεζος Darii erat [12]), lucri quidem causa tyranni familiaritate usus est, ac, nisi fallor, postremis dominationis annis [13]) duobus pcr annum talentis a tyranno arcessitus est, quum post annum 530 in patria Pythagorae doctrina imbutus, deinde ab Aeginetis talento publice, ac tum a Pisistratidis centum minis [14]), et quarto demum anno a Polycrate conductus esset.

---

[11]) Cf. Ulrici II, p. 474. Muellerus Lit. I. p. 370 ad. loc. Bernhardius I, 335.

Ceterum de Ibyci vita nihil fere notum est atque etiam quo tempore apud tyrannum versatus sit, non constat. Eusebius Ol. 60, 1; 539 ante Chr. n.:

»Ibycus, inquit, carminum scriptor agnoscitur.«

Cyrillus adv. Iul. I, p. 13: eum Ol. 59 fuisse statuit. Suidas: Ol. 54.

cf. Peteri tabul. chronic., p. 35: Ibyc. wanderte nach Samos zu Polycr. im Jahr 540.

[12]) cf. Baehr. ad Ctesiam §. 7, p. 17. Democedes appellatur ab Herod. III, 125; Timaeo apud Athen. XII, p. 522 B; et Aeliano V. H. VIII, 17. Demodocus vero ab aliis, inter quos Di. Chrysost. Or. XIV, p. 231, LXXVII, p. 152.

[13]) Cf. Sprengel: Geschichte der Arzneikunde, p. 655 eum anno 524 apud Polycr.. fuisse refert in tabula chronolog.

[14]) cf. Crot. II, p. 521. Sprengel. l. c. I, §. 43 et Moritzii histor. medicinae I, §. 37. Wesseling.: Crotoniatae medici plura scholae Italicae videntur debuisse: Pythagoras artis non imperitus tum temporis Crotone

Philosophos vero eum pari amore et honore complexum esse, vix credi potest, quum eorum non solum nimis libere agendi loquendique rationem, verum totam doctrinam vel maxime repugnasse tyrannorum regnandi rationi intelligamus.

Nihil autem hac de re ex Apollodori verbis de Anaximandro [15]), ac de Pherecyde [16]), Pythagorae magistro (?), quos Polycratis aetate floruisse tradit, iure concludi potest [17]); quod vero Pythagoram a tyranno Amasidi commendatum esse traditur, haec res, si probari potest, tamen cetera philosophi fata respicienti non parvam movet suspicionem de sincera tyranni voluntate.

Restat, ut de artificibus Samiorum, qui Polycratis aetate florebant, nonnulla proferamus. Apud Herodotum [18]) proditur de Theodoro Samio artifice, Polycratis annulum ab illo elaboratum esse. Multa autem apud alios veteres scriptores [19]) de artifice Theodoro leguntur, quae, cum vix ad eun-

---

docebat. Valckenaer.: Ad rem Democedes valde fuit attentus, qui minas ad centum viginti tantnm adiicienti tyranno suam maluit operam addicere.« ac deinde: De pecunia non miror Polycratem de male quaesitis adeo munificum in medico fuisse remunerando. Errant autem Valckenaer, quum eum ab Atheniensibus libera republica conductum esse; Sprengel. et Moritz. quum eum post tumultum contra Pythagoreos, post 510, in Graeciam peregrinum medicum venisse tradant. cf. Valck. ad Her. lll, 131.

15) Ap. Diog. Laert. ll, 2: 'Απολλόδωρος ὁ 'Αθηναιος, ὃς καί φησιν αὐτὸν ἐν τοῖς χρονικοῖς, τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς πεντηκοστῆς ὀγδόης 'Ολυμπιάδος ἔτων εἶναι ἑξήκοντα τεσσάρων· καὶ μετ' ὀλίγον τελευτῆσαι, ἀκμάσαντά πη μάλιστα κατὰ Πολυκράτην τὸν Σάμου τύραννον.

16) Apud eund I, p. 58 (ed. Tauch.): 'Αριστόξενος δὲ, ἐν τῷ περὶ Πυθαγόρου καὶ τῶν γνωρίμων αὐτοῦ, φησί, νοσήσαντα αὐτὸν ὑπὸ Πυθαγόρου ταφῆναι ἐν Δήλῳ· cf. Veegens p. 72.

17) cf. Diog. Laert. I, 116 (I, 119). cf. Veegens, qui tyrannum ob commendationem Pythagorae sapientiae studium amantem laudibus efferri vult.

18) lll, 41.

19) Apud Plinium in H. N.; Pausaniam; Athen.; Himerium (apud

dem artificem pertinere possint, binos eiusdem nominis viros statui commovent, quorum alter, maior natu, ad primam Olympiadem removendus, est inventor artis aeris fundendi et distinguendus filius Rhoeci ab altero Theodoro, Teleclis filio, qui Croesi aetate usque ad Polycratis tempora videtur vixisse. Atque huic Theodoro, minori natu, attribuenda videntur, quae apud Himerium [20]) et Athenaeum [21]) commemorantur, una cum cratere argenteo Croesi [22]) annuloque Polycratis [23]).

Alios quoque conduxerit tyrannus artifices ad amplificandam suam dominationem, de quibus nihil quidem traditum est, excepto Eupalino Megarensi architecto, qui aquaeductum

---

Photium). Clem. Alexandr. et al. Qua de re cf. Sillig. in Artificc. catalog. var. loc.

[20]) Apud Photium. p. 612. H.

[21]) XIV, p. 514 F.

[22]) Herod. I, 51.

[23]) Id. III, 41. Sunt qui, quaecunque de Theodoro leguntur, ad eundem Theodorum, quem quidem Teleclis filium vocant et Rhoeci socium, referant. cf. Brunn. (Gesch. der griech. Künstler I, p. 30 seqq.) Plerique vero binos eiusdem statuunt nominis. cf. Sillig. l. c. p. 439 ss. O. Mueller. (Handb. d. Archaeologie §. 60, p. 40 ed. III). Urlichs (Rhein. Museum N. F. X. p. 1 ss.). cf. Boeckh. in Corp. Inscr. Graec. I, p. 872 ss. Ross. vero in ἐγχ˙ ἀρχ˙ p. 104 hunc in modum disputat: »Ἡ γενεαλογία καὶ χρονολογία τῶν τεχνιτῶν τῆς παλαιᾶς Σαμίας σχολῆς εἶναι πολὺ σκοτεινή˙ διότι ἐπανέρχονται, ἐντὸς τῆς αὐτῆς οἰκογενείας, ἀεί τὰ αὐτὰ ὀνόματα. Τὸ πιθανώτερον διάγραμμα τῆς καταγωγῆς αὐτῶν ἔδωκεν ὁ Θύρσιος:

Φιλέας
|
Ῥοίκος
Θεόδωρος — Τηλεκλῆς
|
υ
|
Τηλεκλῆς
|
Θεόδωρος
(σύγχρονος Κροίσου.)

Duos igitur statuit Theodoros et Telecles. num hoc modo res perspicua evaserit? Equidem dubito. Mea quidem sententia duo Theodori statuendi sunt, quod, ut Baehr. ad H. III, 41, monet, vix credi potest, annulum ante duo circiter saecula factum ad Polycratem pervenisse; atque etiam eius aetate tanti eum aestimatum esse, quum ars certe decursu tot magnos fecerit progressus, eodem iure in dubium vocari potest.

illum, opus tum tam celebratum, Romanorum vero temporibus iam obrutum, exstruxit.

---

§. 11.

Iam vero de eius familia patrem Aeacem, fratresque Sylosonta et Pantagnotum supra memoravimus; filiam vero Polycratis morte iam adultam fuisse apud Herodotum legimus [1]).

Uxoris quoque et filii [2]) qui Anacreonte videtur usus esse praeceptore mentio facta est.

Sed quem fortuna nunquam deseruit, eum ita reddidit caecum, ut omni prudentia posthabita, ipse in perniciem curreret. Cambyse enim morbo laborante Oroetem [3]) Persam,

---

[1]) III, 124. Euseb. Praep. Evang. l. VIII. c. 14, 26, p. 390 D.

[2]) v. Himerium. Qr. XXX, 3., cuius verba restituit Wernsdorfius hac ratione: »Habebat illis temporibus filium Polycrates, non Sami modo rex, vel etiam totius Graeci maris dominus, qui ductus cupiditate anacreonticae musices et carminum, etiam patri suo persuadebat, ut sibi opitularetur in studio erga hunc poëtam. Pater igitur poetam Teio arcessit eumque praeficit filio magistrum eius studii, quo is tenebatur erga Musas. Anacreon vero optatis patris Polycratis satisfacturus non fefellit spem ... Anacreontem vero Polycratis magistrum fuisse, ut alii fecerunt, (cf. Welkeri Kleinere Sckriften I, 252), cum temporum ratione congruere non potest, quum poeta anno 545 demum patriam reliquisse videatur. Himerii autem verba sunt haec: ... βασιλεὺς Σάμου μόνον ἀλλὰ καὶ τῆς ἑλληνικῆς ἁπάσης θαλάσσης ..... μουσικῆς καὶ μελῶν καὶ τὸν πατέρα ἔπειθε συμπράξαι αὐτῷ πρὸς .... πεμψάμενος δίδωσι τῷ παιδὶ τοῦτον τῆς ἐπιθυμίας διδασκαλὸν .... κῆν ἔμελλε πληρώσειν εὐχὴν τῷ πατρὶ Πολυκράτει. πάντα ...... etc.

[3]) Orontes dictus apud Val. Max. VI, 9, 5, Dio Chrys. Or. XVII, p. 251; Cic. Var. Lect. II, 4.

Sardium praesidem a Cyro constitutum et tum in urbe Magnesia ad Maeandrum degentem cupido interficiendi Polycratem invaserat. Quam ob rem Lydum quendam, Myrsum, ad tyrannum, cuius cogitata noverat, misit, qui diceret; „intellexisse praesidem, magnas moliri res tyrannum, sed ad perficiendas non satis pecunia esse praeditum. - Eius autem tantam copiam se traditurum esse illi, ut totius Graeciae obtinere posset imperium, si ad mortem a Cambyse destinato una cum thesauris refugium praebere vellet. Quodsi pecuniarum causa fidem non haberet praesidi, mitteret aliquem ex fidissimis, cui monstrare posset.“ Quibus auditis Polycrates nimis avidus pecuniarum, Meandrium, scribam suum et participem administrationis [4]), inspiciendi causa misit, cui Oroetes octo arcas lapidibus, supra autem auro impletas, ostendit [5]).

Ac tum, reverso Maeandrio, Polycrates, quamquam vates, amici, filia ipsa, quae per quietem patrem in aera suspensum a Iove lavari et a Sole ungui viderat et quae proficiscentem ominosis prosecuta est verbis, eum dehortarentur, ipse multos amicos, Democedem medicum et vatem etiam Eleum, secum ducens Magnesiam profectus et ab Oroete comprehensus foedo et memoratu indigno modo occisus et cruci affixus est.

Sic Polycrates in cruce pendens explevit, quaecunque filia praeviderat: lavabatur enim ab Iove, quando pluebat, a Solo inungebatur, humorem ipse e corpore emittens [6]).

---

[4]) vide Herod. ll, 28. ubi eodem verbo, γραμματιστὴς τῶν ἱερῶν χρημάτων,« utitur, quod vertit Larcherus: »le garde des trésors sacrés. Ceterum γραμματεῖον ab Atticis dici solet, ἐν ᾧ ἀργύριον ἔκειτο· v. Pollux. IV. 1, 9. (Heeren. Ideen ll, 2, »der Rentmeister des Priestercollegium's ist γραμματιστής·).

[5]) De simili dolo cf. Thucyd. VI, 46. Diodor. XII, 83; Polyaen. VI, 21.

[6]) Alios fortasse secutus Philo Iud. apud Euseb. Pr. Evang. lib. Vlll, 13: tyrannum ipsum vidisse somnium et recitasse, cum Persarum regis iussu in crucem tolleretur. v. Mangeium Opera Philon. tom ll,

Samii vero in patriam dimissi, peregrini et servi ab illo retenti sunt[7]). Quod si quaeritur, quibus tandem causis ad tam nefarium facinus Oroetes, qui a Polycrate nec facto nec dicto quopiam iniurioso laesus erat, commotus sit, duas relatas esse causas, tradit Herodotus: „Ac multi quidem narrant, Oroeti a Mitrobate, praeside praefecturae Dascyliensis exprobratum esse, quod Samum insulam ab indigena aliquo cum quindecim tantum armatis insurgente subactam nondum in regis potestatem redegisset. Quibus offensus Polycratem, propter quem male audivisset, perdere cupivisset. Alii vero, pauciores quidem, quum ab Oroete praeco alicuius rei causa ad Polycratem missus esset, tyrannum in exhedra forte decubantem murum versus facie conversa et adstante Anacreonte nec sese ad illum paulisper convertisse, neque ullum responsum dedisse[8]). Diodorus vero ob facinus in Lydos commissum poenas morte dependisse Polycratem memorat. Lydos enim, qui cum multis pecuniis ex Oroetis satrapia Samum aufugerant, supplices primum quidem humaniter exceptos, deinde, ut opibus eorum potiretur, a tyranno interfectos esse[9]).

Sed prolatas has causas nimis leves esse, quam quibus fides haberi possit, hac de re omnes recentiores consentiunt.

Notum quoque est, a scriptoribus eiusmodi fabellas liben-

---

p. 639. Casaub. (Exercit. XVI. ad annal. Baronii p. 541. »Solebant Persae cruci suffigendis capita amputare, ut Histiaeo (Herod. Vl, 30) et Leonidae Vll, 238), aut pellem detrahere; qua fortasse excoriatione, ut multum in tollendis iis, quorum corpora in propatulo postea ponebaut, abusi etiam fuerant in Polycrate.« De Bagapate cf. Ctesias, Eclog. Pers. cap. 28: »τὸ δέρμα περιαιρεθείς ἀνεσταυρώθη·

[7]) cf. Herod. 120 ss. Praeter Herodotum hac de re conf. Athen. Xll. p. 522 B, Strabo XIV, p. 438. Eustath. ad Dionys. V. 534. Plin. H. N. XXXlll. s. 6.

[8]) Herod. l. c.

[9]) Excerpt. Vales. p. 250, vel de virt. 6.

ter divulgatas etiam gravium rerum causas referri. Recentiorum autem alii, ut Dunckerus [10]), tyrannum ab Oroeta interfectum esse dicunt, ut eius praedationibus finis fieret, aut insula praefecturae adderetur, alii, ut Curtius [11]), quod illud ab Harpagone susceptum perficere, alii, ut Plassius [12]), quod regi rem gratam perficere vellet.

Quibus omnibus non sine iure obiici potest, mirandum esse, quod ab illo aliud nihil factum esset, quum statim post Polycratis mortem optima fuisset occasio invadendi Samum perturbatis eius rebus. Constat autem Oroetem, qui postea Mitrobata interfecto Phrygiam, Lydiam, Ioniam provincias obtinebat [13]), et cui praeter ingentes milites mille satellites praesto erant, ut sibi ipsi regnum pararet, molitum esse, qua in re Polycrates, qui principatum Persarum quodammodo agnoverat, magno impedimento esse poterat, inprimis quum eum lucri causa partes Persarum amplexurum esse, facile credi posset.

Quodsi perpenditur, Samios, qui Polycratem comitati sunt, ab Oroeta incolumes dimissos esse cum verbis gratiam sibi habendam esse, quod iis libertatem reddidisset, ei iam propositum fuisse animos vicinorum, qui tum potentissimi Graecorum habebantur, sibi conciliare, coniicere liceat.

Sed mortuus tyrannus, de cruce depositus, etiam sandapila deportatus est, loculo, in quo non nobilium, sed plebeiorum et damnatorum cadavera deportabantur [14]). Factum vero est anno 522 aut exitu anni 523 [15]). Quod tempus maxime pro-

---

[10]) Duncker l. c. p. 518.

[11]) p. 505.

[12]) l. c. I, p. 247.

[13]) Herod. III, 126 ss.

[14]) cf. Lersch. de Fulgentio p. 36.

[15]) Quem annum constituunt: Larcherus, Schulzius, Dunckerus, Groteus; Panofka vero 522; Clinton 524.

babile est, quum apud Herodotum lib. III., c. 120, legatur: insidias ab Oroeta tyranno paratas esse *κατά κου μάλιστα τὴν Καμβύσεω νοῦσον.* Praepositio *κατὰ* autem cum accusandi casu conserta tempus ipsum notat [16]). Quod quum Cambyses anno 522 mortuus, morbo autem, quem mors secuta est, haud diuturno affectus sit, vix illud tempus interitus tyranni in dubium vocari potest. Quare ea, quae de Oroeta ab Herodoti referuntur, anno 524 vel initio 523 facta esse, elucet [17]).

Tam misero igitur et eius persona ingenioque, ut Herodotus luget [18]), indigno modo periit ille, qui exceptis Syracusarum illis tyrannis, Hierone et Gelone, omnes alios Graecorum tyrannos superavit *μεγαλοπρεπείᾳ.* Ac cum illo cecidit, ut suo iure Curtius dicit [19]), ultimum propugnaculum Graeciae, vallum ad repellendos Persas.

Ceterum haec fere sunt, quae explicanda mihi proposui; nonnulla quidem reliqui; sed tamen, etiamsi parva sunt quae protuli, si rem ita exhauserim, ut post aliquot annos ad eandem rem iterum perquirendam alii non provocentur, non indignam rem perfecisse me arbitrabor.

---

[16]) cf. Hoogeven. ad Viger. de praec. Gr. linguae idiot. Excitatur ibi Herodoti locus I, 67; cuius ipsius capitis periodus subsequens comparanda est. Diodorus ipse in libr. II. c. XXXII (ed. Schweigh. V. II, p. 98) quid κατά τινα εἶναι sit, exemplo docet.

[17]) Herod. III. 121.

[18]) Herod. III. 125.

[19]) Curtius. I, p. 500.